MASTER NEGATIVE
NO. 93-81321-9

AUTHOR:

KAEMPF, WILHELM

TITLE:

DE PRONOMINUM PERSONALIUM USU...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1886

Master Negative #

93-81321-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kaempf, Wilhelm.

De pronominum personalium usu et collocatione apud poetas scaenicos Romanorum. Scripsit Guilelmus Kaempf. Berolini, apud S. Calvary et socium, 1886.

2 p. l., 48 p. $22\frac{1}{2}$cm. (*Added t.-p.:* Berliner studien für classische philologie und archaeologie. 3. bd. [2. hft.])

Also issued (Berlin, 1885) as the author's inaugural dissertation, Rostock.

Based on the comedies of Plautus and Terence.

Bibliographical foot-notes.

 Another copy.

1. Latin language—Pronoun. 2. Plautus, Titus Maccius. 3. Terentius Afer, Publius. 4. Latin drama (Comedy)

A C 34-652

Title from Illinois Univ.
Library of Congress [PA25.B4 bd. 3, hft. 2]
[3]

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4/23/93 INITIALS BE

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

BERLINER STUDIEN

FÜR

CLASSISCHE PHILOLOGIE UND ARCHAEOLOGIE.

DRITTER BAND.

ZWEITES HEFT.

DE PRONOMINUM PERSONALIUM USU
APUD POETAS SCAENICOS ROMANORUM

SCRIPSIT

GUILELMUS KAEMPF.

BERLIN, 1886.

VERLAG VON S. CALVARY & CO.

DE

PRONOMINUM PERSONALIUM

USU ET COLLOCATIONE

APUD POETAS SCAENICOS

ROMANORUM.

SCRIPSIT

GUILELMUS KAEMPF.

BEROLINI 1886.

APUD S. CALVARY ET SOCIUM.

Poetas scaenicos Romanos, inprimis Plautum et Terentium, multa uerba collocasse non libidine quadam ductos, sed certis normis uel legibus nostra aetate ab hominibus doctis in dies magis perspici coeptum est. Atque mihi quidem operae pretium uisum est de poetarum illorum in pronominibus personalibus collocandis usu quaerere, qua de re pauca adhuc explorata esse uideo a Seyfferto, Mahlero, Kellerhoffio, Reinio.[1]) Intellexi autem in comoediis latinis fere nihil tam certis finibus esse circumscriptum quam usum et collocationem illorum pronominum.[2]) Qua in re pertractanda etiam illud perspexi librorum fidem multo esse maiorem, quam uulgo creditur; atque hoc libello maxime id agam, ut usu pronominum perss. explicato appareat plurimis locis librorum memoriam ab hominibus doctis cum aliis de causis tum maxime ad hiatum tollendum immutatam retinendam esse.

Sed materiem mihi propositam ita disponam, ut in parte priore agam de usu pronominis personalis, quod est subiectum,

---

1) Seyffert in Philol. XXV p. 459 sqq. — Mahler, De pron. pers. apud Plautum collocatione. Diss. inaug. Gryphisw. 1876. — Kellerhoff, De pron. apud Terentium collocatione. Diss inaug. Argentin. 1881. — Rein, De pron. apud Terentium collocatione. Diss. inaug. Lips. 1879. — quorum librorum paginas solas omissis titulis suis locis commemorabo.

2) Cum singularum legum saepe plus centum exempla inuenerim, fieri non potest, ut omnia enumerem; quare passim singula testimonia commemorabo et in ceteris numerum exemplorum, quae mihi in promptu sunt, edam.

in parte altera de collocatione omnium casuum pronominis. In uersibus autem afferendis hanc sequar rationem, ut in sedecim Plautinis comoediis, quos uel Ritschl uel eius socii ediderunt, utar numeris illorum, in Casina Geppertianis, in Captiuis et in Rudente Fleckeiseniauis, in Vidularia Studemundianis recensionis alterius (editae in Verhandl. der 36. Versamml. deutsch. Philol. und Schulm. Karlsruhe 1882, pp. 43—65), in Cistellaria Pareanis, in Terentianis fabulis Umpfenbachianis, in fragmentis comicorum et tragicorum Ribbeckianis. Notas denique usurpaui hasce: Btl = Bentley, Bx = Brix, Dz = Dziatzkonis editio Adelphon uel Phormionis, Dz. ed. = Dziatzkonis editio Terentii recentissima, Fl = Fleckeisen, Gp = Geppert, G = Goetz, L = Loewe, Lor = Lorenz, Rib = Ribbeck, Rl = Ritschl, Sp = Spengel, U = Umpfenbach, Wg = Wagner.

PARS I.

De usu pronominis personalis, quod est subiectum.

Cum circiter 1500 uersus extent in fabulis latinis, ubi pronomen pers., quod est subiectum, ui sententiae postulatum ponitur secundum usum aetatis Ciceronianae, multo plures loci — circiter 3150 — occurrunt, ubi pronomina usurpantur neque sententia neque metrica ratione postulante; atque in eiusmodi locis quae ratio intercedat in adhibendis pronominibus, nunc exponam.

§ 1.

Inter illos 3150 locos sunt nonnulla exempla, ubi pronomen pers. ponitur sine ulla causa perspicua, partim structura uersus non postulatum (62), partim ita, ut propter necessitatem metricam deesse non possit (258). In ceteris uero 2830 uersibus facile intellegitur poetas scaenicos spectauisse certum usum, quo perspecto aliquot uersus pro corruptis habiti rectius emendari poterunt. Videntur autem illi, si non semper, at tamen crebro pronomina 'ego, tu' . . ., quamquam sententia non postulantur, posuisse in enuntiatis relatiuis (in 113 uu., ex quibus 24 pronomine propter rationem metricam carere possunt) et in enuntiatis negatiuis (in 86 uu., ex quibus in 14 sine necessitate metrica). Porro nominatiuus pronominis personalis cum certis uerbis componitur sententia non postulante, qua de re agam in §§ 2—6.[1])

[1]) Hic rationem habebo modo eorum uersuum, ubi illa uerba extant in enuntiatis affirmatiuis nullo affectu intercedente; de aliis generibus dicendi postea disputabo in §§ 7—15.

§ 2.

Pronomina perss. creberrime apponuntur ad sentiendi uerba, quae dicuntur, quamuis non necessaria sint ad sententiam (in 430 uu.); in his quoque uersibus sunt multi — 121 —, ubi per metrum pronomen omittere licuit, uelut Cas. 260. Mil. 359. Hec. 712. Atque rectissime et ad usum et ad metrum Rl 'ego' inseruit

Bacch. 78 Scío <ego> quid ago. — Et égo pol scio quid métuo. sed quid aís? — Quid est?

(cf. Scio ego Capt. 326. Mil. 1325. Pers. 276. 616. Trin. 639. Truc. 296. 484. Sciui ego Bacch. 1054. Scibam ego Asin. 300. Scis tu Bacch. 202. Stich. 489. Scimus nos Capt. 206. Pseud. 275) et Pers. 274 Éxhibeas moléstiam, ut <ego> opínor, si quid débeam. De formula 'ut ego opinor' cf. Aul. 619. 729. Bacch. 155. 1039. Cist. frgm. Ambr. edita a Maio 39. 48. Epid. 259. Men. 160. Most. 480. Poen. 248. 260. 980. Rud. 466. 1297. Stich. 361. Trin. 764. Truc. 502. Hec. 598. Contra idem non recte 'ego' Ambrosiano duce deleuisse uidetur in uersu Men. 207, quem sic constituit:

Scín quid uolo te accúrare? — Hauscio, séd curabo quaé uoles,

ubi quae in Pall. scripta leguntur 'uolo ego te (cf. Bacch. 189. Capt. 216. Trin. 328. Titin. fr. II 156, 160) accurare? — Scio (sic etiam A) curabo' ss. quin uera sint, cum Vahleno non dubito. Atque ut hoc loco in Ambrosiano ita in uersu Hec. 281 Nemini ego plura (DFG, Don., plura ego BCEP, Btl) acerba credo esse ex amore homini unquam oblata,

'ego' in Bembino errore excidisse putandum est; nam 'ego, tu' cum uerbo 'credere' saepissime coniunguntur (in 34 uu., quorum in 11 pronomen saluo metro omitti potest, cf. Cist. IV 1, 1 Núllam ego me uidísse credo mágis anum excruciábilem). Equidem librorum DFG, quibuscum et Don. et corrector Bembini facit, collocationem usitatiorem 'Nemini ego plura' — nam pronomen pers. negationem subsequi solere infra uidebimus — retinendam esse cum Dz. ed. iudico, quidquid de reliquo uersu statuendum est.

§ 3.

Item cum dicendi uerbis pronomina 'ego, tu' coniunguntur, etiamsi accentu logico carent (148 uu., quorum in 23 pron. praeter necessitatem metricam est positum). Hic liceat mihi paullo uberius disputare de nonnullis locis Plautinis.

Pseud. 338 'Ex tua rest, út ego emoriar. — Quidum? — Ego dicám tibi.

ut hiatum tolleret, qui tamen mutatione personae excusatur, Rl falso scripsit: <Id> ego dicam tibi. Nam ad 'ego dicam tibi' uel 'ego dicam' formulas nulla alia accedit uox: Cist. II 3, 59. Curc. 437. 634 s. Merc. 638. Most. 483. 757. 1026 b.[1]) Poen. 294. Pseud. 801. Rud. 388. Trin. 1099. Adelph. 646. Andr. 375. Heaut. 986. 1033; in uersu Curc. 633 semel inuenitur: ego dicam omnia. cf. Amph. 912 ego expediam tibi. Truc. 138 Ego expedibo. Inueniuntur autem septem uersus, ubi hae formulae ponuntur sine 'ego', ex quibus quinque habent excusationem metricam: Curc. 442. Mil. 296. Most. 661. Pseud. 751. Adelph. 985; in uersibus Epid. 708 et Naeu. com. fr. 12 per metrum 'ego' ponere licuit. Addendi sunt hic uersus Most. 888 Qui párasitus sum? — Ego enim dicam. cibo pérduci poterís quouis; Mil. 810 Ego enim dicam tum, quando usus poscet; quorum in priore quod Rl totum locum licentius tractans scripsit: Ego sum? — <Tibi> enim dicam, 'tibi' in hac dictione ab usu abhorrere supra uidimus. At semper dixisse uidetur Plautus 'eloquar', numquam 'ego eloquar' (cf. Mil. 1307. Most. 283. 742. 945 Pseud 491. 803. Rud. 1060); nam quamquam Mil. 382 libri habent: Quid sómniauisti? — Ego éloquar ss. tamen non tam cum Camerario ad metrum restituendum pro 'somniauisti' 'somniasti' scribendum quam, id quod iam Rl in adnotatione proposuit, 'ego' delendum esse Fl et Bx (cf. Fleck. Annall. 1881 p. 54) recte uidentur censuisse.

§ 4.

Saepe porro pronomen pers. subiecti loco adicitur uerbis eundi, maxime in exitu scaenarum, ubi homines pronuntiant se discessuros esse. Atque ex 105 exemplis, quae collegi, 28 ita sunt comparata, ut pronomen praeter necessitatem metricam positum

[1]) 'ego dicam tibi' legit Gp in Ambrosiano — cf. de cod. Ambrosiano p. 24 — in tertii post uersum 1026 uersus fine.

sit.[1]) Cuius generis haec affero exempla: Plaut. fragm. apud Charis. 197, 18 K.: Inimícus esto, dónicum ego reuénero. Capt. 251 Jam égo reuortar. Poen. 615 Jam ego istúc reuortar. Aul. 678 Jam ego illúc praecurram. Amph. 544 Jam égo sequor, ut intellegatur non esse quod Bacch. 1066 Cedo, sí necessest. — Cúra hoc. iam égo hŭc reuénero, cum Hermanno et Rl. io 'ego' deleatur. Item 'ego' seruandum est

Men. 954 Jam híc erunt. adsérua tu istunc, médice. — Immo ego <ab>ibó domúm:

sic Vetere duce cum Schwalbio in Fleck. Ann. 1872 p. 416 Bx, immo ibo domum Rl cum CD. At praeter libros 'ego' recte addidisse uidetur Btl

Andr. 850 Míhin? — Tibi ergo. — Módo <ego> introi<u>i. — Quási ego, quam dudúm, rogem:

cf. Aul. 727 ego introii. Pers. 86 ubi ego intro aduenero. nam neque Sp. ium recte scripsisse puto: 'Intró modo iui', quae collocatio prorsus est inusitata, neque intellegere me confiteor, quod Dz. ed. posuit: Egó modo intro ií.

§ 5.

Creberrime uero pronomina perss. accedunt ad uerbum 'esse', plerumque ita, ut proxime antecedant. Sunt autem 156 exempla, quorum in 23 pronomen metro non postulatur. In hunc numerum referendus est uersus ille

Adelph. 957 Nunc tu mi es (G Nunc tu mihi es EF Nc tu es mihi BC Nunc tu D) germanus pariter et animo et corpore, qui ab hominibus doctis diuersissime tractatus est. Qui uersus quomodo constituendus sit, quamquam certum iudicium facere non possum, tamen hos locos Cas. 511 Nunc tu mi amicus es in germanum modum. Pers. 582 Tum tu mi es inimicus certus. Capt. 857 Tum tu mi igitur erus es. Poen. 630 Nunc uos mihi amnes estis. Cas. 809. Men. 698. Poen. 1262 mihi conferenti hoc constat 'tu' non cum Fl. o et U. io tollendum, et 'nunc tu mihi' uerborum hunc ordinem conseruandum esse.

---

[1]) Sine 'ego' numeraui 72 exempla, ex quibus quinque tantum non habent excusationem metricam; 44 locis formae uerbi eundi (plerumque 'ibo') initium uersus efficiunt.

§ 6.

Atque etiam cum uerbo 'facere' saepe nominatiuus pronominis pers. componitur, cum et metrum et sententia eo carere possit (in 54 uersibus, quorum in 12 pronomine sine necessitate metrica). Haec autem exempla Cas. 121. Cist. II 1, 2 Hanc ego de me coniecturam domi facio. Aul. 204 ubi mentionem ego fecero de filia. Pers. 109 Qua de re ego tecum mentionem feceram, perlustranti satis dubium mihi uidetur, num uersus

Heaut. 574 Ego de me facio coniecturam: nemost meorum amicorum hodie,

recte ita ad trochaicos numeros redigatur, ut pronomen 'ego' deleatur. Neque magis Btl.io assentiri possum contra certum quendam usum sic uerba transponenti: De me ego ss.

§ 7.

Transeamus nunc ad id genus orationis, in quo *affectus* quidam uel motus animi inest; in tali enim oratione siue affirmatiua siue imperatiua siue interrogatiua fere semper pronomina perss. usurpantur, atque ut primum mentionem faciam de sermonis obsecratione aliquid orantium uel iurantium, extant huius generis 32 exempla, quorum in quattuor pronomen sine necessitate metrica positum est. Cuius generis unum exemplum requirit accuratiorem disceptationem:

Andr. 289 Quod ego te per hanc dexteram oro et ingenium tuom, sic libri, nisi quod CP 'oro' omittunt. Atque pro 'ingenium' quin 'genium' Donato duce recte substituerit Btl, non est dubium, cf. Hor. Ep. I 7, 94 s. Quod te per genium dextramque deosque penatis Obsecro. Tibull. IV 5, 7 s. per té dulcíssima furta Perque tuos oculos per geniumque rogo. Idem uitium ab eodem sublatum est Capt. 977 Phílocrates, per tŭom te ingenium óbsecro. Eo maiorem dubitationem habet prior uersus pars. Atque scripsit Sp: Quod hánc per ego te déxteram et g. t., item O. Brugmann in Fleck. Ann. CXIII (1876) p. 420 s., nisi quod pro 'dexteram' proponit 'dextram oro', Rein p. 4 'Quod pér ego te dextram hánc oro, quod Dz. ed. in praef. p. XIX commendans 'nunc' ex Eugraphio assumpto talem uersum constituit: Quod pér ego te hanc nunc déxtram oro. Ad huiusmodi orationem et collocationem pro-

nominum cf. Men. 990 per ego uobis deos atque homines dico. Poen. 1387 per ego te tua genua obsecro. Andr. 834 per ego te deos oro (cf. Liu. XXIII 9). Rud. 627 per ego haec genua te obtestor. Enn. trag. fr. 2 per ego deum sublimas subices (Ouid. Fast. II 841 Per tibi ego hunc iuro cruorem); Andr. 538 per té deos oro. Bacch. 905 per te, ere, obsecro Deos inmortales (Tibull. I 5, 7 per té furtiui foedera lecti . . . quaeso. IV 5, 7 uide supra).[1]) Quod Dz. l. s. s. 'per' ictu acui solere dicit, refellitur his uersibus: Amph. 923. Capt. 727. 977. Trin. 520. Andr. 538 (Tibull. I 5, 7. IV 5, 7). Equidem ut U.io cum ueteribus editionibus scribenti 'Quod ego per hanc te dextram oro' ss. adstipuler, hac adducor ratione. In omnibus illis uersibus extant enuntiata primaria, quae dicuntur; at in Andriae uersu, de quo agitur, praecedit pronomen relatiuum 'quod'. Cum pronominibus autem relatiuis personalia ita coniungi solent, ut nullum intercedat aliud uocabulum, id quod in Part. II § 6 demonstrabo, cf. Hec. 338 Quod te, Aesculapi, et te, Salus, nequid sit huius oro. Acci. fr. I 208, 555 quod te obsecro, aspernabilem Ne haec taetritudo mea me inculta faxit. Verg. Aen. II 140 s. quod te per superos . . . oro. Hor. Ep. I 7, 94 quod te per genium dextramque deosque penatis Obsecro et obtestor.

§ 8.

Sequitur oratio affirmantium aliquid cum grauitate quadam adiectis persaepe particulis 'hercle, pol, ne'.[2]) atque in talibus dictionibus pronomen pers., quod est subiectum satis raro deest (pronomen inuenitur in 391 uersibus, quorum in 69 saluo metro omitti potest). Itaque

Amph. 672. Numquam edepol tu mihi diuini quicquam creduis post hunc diem ss.

LG ad metrum restituendum non recte cum Weisio 'edepol tu' delere maluerunt quam cum Bothio et Fl.o 'quicquam', quod

[1]) Usitatum ordinem uerborum habes Amph. 923 Per déxteram tuam te, 'Alcumena, oro óbsecro. Capt. 244 nunc te oro . . . per mei te erga bonitatem patris. 727 Per deos atque homines égo te obtestor.

[2]) De collocatione harum particularum, quae fere semper arte cum pronominibus perss. componuntur, agam in Part. II § 8a.

decsse posse docet Bacch. 504 s. Nam míhi diuini númquam quisquam créduat. Deinde de uersu Heaut. 678, qui in A hanc habet formam:

Retraham hercle opinor idem ad me ego illud hodie fugitiuom argentum tamen,

a plerisque autem secundum recensionem Calliopianam sic scribitur: Retraham hércle opinor ád me idem illud f. a. t., U. io ita adsentior, ut 'ego' et 'hodie' uerba seruanda esse censeam, quae saepissime in talibus sententiis inueniuntur, cf. Capt. 649 Ut quidem *hercle* in medium *ego hodie* processerim. Mil. 581 Numquam *hercle* ex ista nassa *ego hodie* escam petam. Adelph. 551 Numquam *hercle hodie ego* istuc committam tibi. Amph. 348. 357. 583. 589. 1030. Asin. 901. Aul. 573. Bacch. 232. 241. 766. 975. 1036. Capt. 854. Cas. 285. 363. 401. 486. Curc. 689. 726 s. Mil. 814. Most. 427. 1067. Pers. 140. 457. 480. Pseud. 223 s. 413. 518. 614. 868. 881 s. 946. Rud. 800. 1004. 1118. 1354. Vid. fr. V 14. Adelph. 587. Andr. 866 s. Eun. 803. Titin. fr. II 144, 76 s. Facillime autem ea quam praebet A uersus forma ad iustos numeros redigitur 'illud' uocabulo deleto: Retraham hércle opinor ídem ăd me argentum ego hodie fugitiuom tamen.

§ 9.

Atque etiam si quis quid pollicetur, creberrime nominatiuus pronominis pers. ponitur (in 98 uersibus), quod in quarta parte exemplorum saluo metro tolli potest. Cuius generis haec adfero exempla: Ego istuc curabo Amph. 949. Asin. 827. Heaut. 593. ego hic curabo Bacch. 227. Meo ego id in loco curabo Pers. 843. Nos curabimus Poen. 593, ut intellegatur, quam dubia sit Rl.ii Brixiique ratio Men. 897

Ita ego illum cum cúra mágna cúrabó tibi

'ego' delentium. Neque licet cum Seyfferto sic uerba transponere: Ita illum ego, quod ab usu Plautino et Terentiano abhorrrere infra (II § 4) euincam. Fortasse uersus ita sanandus est, ut pro 'illum' substituatur 'eum'.

§ 10.

Idem cadere in minitantium sermonem 139 fere exemplis demonstratur, ex quibus 46 pron. pers. sine necessitate metrica praebent, ut appareat

Bacch. 364. Si eró reprehensus, mácto ego illum infortúnio, Rl.ium sine causa cum Bothio 'ego' sustulisse, cf. Amph. fr. I (LG) At ego te certo cruciatu mactabo. Curc. 537 Non edepol ego nunc mediocri macto te infortunio. Nou. fr. II 260, 39 macta tu illanc infortunio.

§ 11.

In enuntiatis imperatiuis uel iussiuis persaepe pronomen 'tu' adhibetur, maxime coniunctum cum 'quin' aut 'proin' particulis. Huius usus extant 243 exempla, de quibus 67 praebent pronomen sine necessitate metrica. In hoc numero habeo etiam

Pers. 154 ss. . . . . cape
Tunicam átque zonam, et chlámydem adferto et caúsiam . . .
. . . . Et tu gnatám tuam
Ornátam adduce . . . .

Scripsi 'Et tu gnatam tuam' ex Camerarii coniectura, qua librorum scriptura 'et tu tuam gnatam tamen' facillime uidetur expediri. neque opus est longius a uerbis traditis recedere, ut fecit Rl, qui auctore Bothio scribit 'Tum gnatam tuam'. Quod autem 'tu' hoc loco ponitur, quamquam Toxilus loquitur ad eundem Saturionem, ad quem proxime antecedentia uerba dixerat, saepius occurrit, cf. Rud. 582 Tu uel suda uel peri algu uel *tu* aegrota uel uale. Hor. Carm. I 9, 15 s. nec dulces amores Sperne puer neque *tu* choreas. Men. 960 Neque ego insanio neque pugnas nequo *ego* litis coepio (uide p. 72). Neque dubium est, quin Truc. 535, ubi libri habent:

Hoc quidem hercles (B hercle si CD) ingratumst donum, cedo tu mihi istam, puere, per uiam,

emendatio non possit ita institui, ut uoluit Schoell, qui scribit 'Hoc quidem si hercle ingratumst donum, cedo mi, puere, perulam'. Nam, ut alia omittam, et 'hercle' uocis collocatio abhorret ab usu Plautino, qui potius requirit 'Hoc quidem hercle si', et 'tu' illud defenditur his locis: Bacch. 748 Cédo tu ceram ac línum actutum.

Epid. 722 cédo tu, ut exoluám manus. Mea quidem sententia uersus ad suos numeros redigendus est ita, ut cum Gp.o 'hercle' scribatur et 'donum' cum Bothio deleatur; nam 'puere' formam uere Plautinam siue dittographia, quam dicunt, ortam esse mihi persuadere non possum. Denique de Afranii uersu 236 'tene tu: in medio némo est. magnificé uolo', quidquid statuendum est — equidem satis habeo haec exempla afferre: Stich. 762 Tene tu hóc, educe. 763 tene tu. ínterim ss. Cist. IV 2, 105 téne tu cistellám tibi —, hoc quidem mihi constat 'teneto' illud Ritschelianum esse reiciendum, quoniam semper in hoc genere orationis dicitur 'tene', numquam 'teneto'.

§ 12.

Longe maximus est numerus eorum uersuum, ubi pronomina 'ego, tu', quamquam accentu logico carent, extant in interrogationibus siue simplicibus siue cum affectu quodam pronuntiatis. atque solo orationis genere effici, ut pronomina perss. adhibeantur, cognosci potest cum e permagno numero exemplorum huc spectantium (968), tum e multis locis, ubi pronomen structura uersus non postulatur; qui numerus circiter tertiam partem omnium exemplorum efficit. Sed e toto hoc genere perlustremus primum *interrogationes simplices* (in 458 uerss.).

Bacch. 856 libri habent: Dixin tibi ego illum inuenturum te qualis siet; quae uerba Rl Hermanno obsecutus ita ad senarii numeros reuocanda esse putauit, ut deleret 'ego illum' uocabula; sed comparanti hos locos Cist. fr. Ambr. 28 ed. Mai. Díxin égo ĭstaec óbsecro? Men. 375 Díxin égo ĭstaec híc solére fíeri? (in utroque uersu 'ego' saluo metro omitti potest.) Eun. 1093. Dixin ego in hoc esse uobis Atticam elegantiam? non erit dubium, quin 'ego' seruandum esse Fl recte putauerit. Quamquam ne huius quidem ratio 'Dixin tibi ego illum te inuenturum quali' sit' scribentis omnem scrupulum tollit. Nam et uerborum collocatio 'tibi ego' satis abhorret ab usu, ut infra docebimus, neque 'siet' formam mutare audeo. Itaque hanc proposuerim uersus formam: Dixín ego ĭllum inuentúrum te qualís siet.

Poen. 343. Quíd ais tu? quando ílli apud me mecum caput et corpus copulas.

Sic Pall., a quibus A modo in exitu uersus discrepat, sed de eius scriptura non satis constat. Atque LG e Palatinorum scriptura profecti trochaicum septenarium ita effecerunt, ut 'ego' omitterent, id quod ne recte non fecerint, uehementer uereor. Nam cum in priore uersus parte libri consentiant, dissentiant autem in posteriore, in hac potius uitium latere putandum est. Quod quomodo tollendum sit, equidem coniectura non assequor; hoc quidem certum est, Ambrosiani scripturam spectare ad eam uersus formam, quae septenarii modum non euadat ut Palatinorum scriptura. Neque assentiri possum eisdem, quod Poen. 985 Quid aís tu? écquid commeministi Punice? 'tu' post 'ecquid' collocauerunt ad hiatum tollendum, qui si tollendus est, cogitauerim potius de 'nam' (cf. Poen. 619) uel de altero 'tu' post 'ecquid' inserendo, cf Men. 163 Sed quid ais? ecquid tu de odore possis . . . facere coniecturam? Merc. 390 Sed quid ais? ecquam tu aduexti ss.

Falso etiam Geppertum Cas. 495 Quin tú suspendis té? Nĕmpe tute díxeras ss. — nimirum ut 'nempe' illud pyrrhichium uitaret, quode dubitari non potest — scripsisse 'Quin té suspendis?' plurimis (45) huius generis demonstrari potest exemplis, ex quibus satis magnis numerus (27) talis est, ut 'tu' saluo metro omitti possit. Praeter Men. 912. Pseud. 350 (Quín tu te suspéndis?) locos simillimos ei, de quo modo egimus, haec affero exempla Curc. 611 s. Quin tu is in malam crucem cum boleis, cum bulbis? 183 Quin tu is dormitum? Men. 916 Quín tu is in malám crucem? Rud. 518. Quin tu hinc is a me in maxumam malam crucem? 122. Quin tu in paludem is ss. Pseud. 891. Quin tu is accubitum? Epid. 303 et Most. 815 Quin tu is intro?, ut intellegatur temere Rl.ium Pers. 672 uerba in libris secundum usum Plautinum recte collocata sic transposuisse: Quin tu is intro ss. Eiusdem ratio

Stich. 517. 'In hunc diém sed sátin ego técum pácificátus sum, 'Antipho?

'satine' pro 'satin ego' scribentis, quamquam placuit Fl.o et G.o, mihi quidem non probatur hos locos conferenti: Satin ego Epid. 634. Poen. 1299. Trin. 1071. Bacch. 509. 1202. Satin. tu Amph. 604. Merc. 682. Trin. 454. Pers. 23; nam talem proceleusmaticum Plautum non omnino uitauisse docuit nuper Guil. Abraham in utilissimo libello qui inscribitur Studia Plautina (Lips. 1884) p. 228. Quamquam non hoc dico Rl.ii scripturam prorsus ab usu abhorrere (cf. Men. 736. 945. Amph. 578), id quod dicendum est de Muelleri coniecturis (Pros. p. 321): satin tecum ego sum, satin sum tecum ego, satine tecum ego.

§ 13.

Item in interrogationibus dubitatiuis pronomen pers. poni solet (131 uu.), cuius generis sunt creberrimae illae formulae: quid ego agam? quid ego faciam? quid ego dicam? (Pro coniunctiuo dubitatiuo in Bacch. 1168. Curc. 132. Most. 368. Eun. 434. 532 indicatiuus usurpatur.) Neque minus frequens pronominis usus in eis est interrogationibus dubitatiuis, cum quis alteri respondens uerbum finitum repetit. cf. Heaut. 585 s. Iube hunc *Abire* hinc aliquo. — Quo ego hinc *abeam*? Aul. 81 s. 638 s. 829. Capt. 839. Men. 299. Mil. 496. 1120. Most. 556. Pseud. 651 s. 916 s. 1226. Andr. 384. 894. Eun. 191. 650 s. 797 s. Heaut. 529. Phorm. 259 s. 685. 996 s. quare

Men. 622 s. . . . . Illúc *redi.* —
Quó ego *redeam*? — Equidem ád phrygionem cénseo. ei, pallám refer;

'ego' cum libris contra Rl.ium certe tenendum est, siue proceleusmaticus in altero pede tolerandus siue cum Muellero (Pros. p. 630), cui adstipulatur Bx, 'Ad phrygionem equidem' scribendum est. Similis locus est

Pseud. 484 ss. . . . . Ecquas uiginti minas
Paritas ut a me *auferas*? — Abs te ego *auferam*?

ubi non cum Rl.io 'ego' delendum, sed cum Camerario, quem secuti sunt Fl, Mueller (Pros. p. 226), Lor, uerba sic sunt transponenda: auferas a me. Eadem est ratio uersus

Andr. 894 Tamén, Simo, *audi.* — Ego *aúdiam*? quid ego *aúdiam*?

sic enim habent omnes libri, uisi quod in AD alterum 'ego' a correctore additum est, quod a recentioribus non recte omitti uidetur.

§ 14.

Etiam frequentior usus est pronominis in interrogationibus mirantium (225 locis). atque in hoc genere plerumque 'egon'

et 'tun' formae usurpantur. Hoc loco iudicium faciendum est de Capt. 571 s. Té negas ◡ Týndarum esse. — Négo inquam. — Tun te Phílocratem
'Esse ais? — Ego inquam. — Túne huic credis? — Plús quidem quám tibi aút mihi.
Nam quod ad complendum u. 571 'Té negas<tu>' cum Ussingio Bx scripsit, discrepat cum usu poetae, qui cum aut 'tu negas?' (Amph. 434. Men. 822. Andr. 909) aut 'tun negas?' (Amph. 758. Men. 630) dicere soleat, uersus initium sic constituendum esse uidetur: 'Tu' uel 'Tun negas<te>' ss. Alterum uersum satis uiolenter Bx tractauit; nam 'aut mihi' uerbis deletis scripsit '<Aio> ego, inquam'; sed semper 'ego aio' collocari uidetur. At idem rectissime emendauit

Men. 463. Sed quid ego uideo? Menaechmus (libri: Menaechmum) <cum> corona exit foras:

ubi quod Rl scripsit 'ego <hic> uideo Menaechmum?' prorsus abhorret ab usu. Nam aut dicit Plautus 'quid ego *uideo*?' Amph. 781. Men. 1062. Mil. 1281. Poen. 1296. Pseud. 1286. — Rud. 333. 450. quid ego (ex te) *audio*? Amph. 722. Poen. 1046. Andr. 465. — Aul. 734. 796. 822. Epid. 44. 246. Trin. 1080. Men. 1070. Most. 364. Pseud. 347. Rud. 739. Mil. 289. Truc. 382. — Asin. 229. Mil. 1012. Eun 1060. Hec. 453. quid ego *adspicio*? Men. 1001. Poen. 1122, aut '*Video* ego hunc seruom meum? Aul. 813. Videon ego Telestidem? Epid. 635. Sed uideon ego Pamphilippum cum fratre Epignomo? Stich. 582. uideon ego Getam Phorm. 177. Sed uideon ego Philotium Hec. 81. Andrium ego Critonem uideo? Andr. 906. 'Erumne ego *adspició* meum? Aul. 812. Epidicumne ego conspicor Epid. 4. cf. Bacch. 1104 sed quem uideo. Pseud. 592. Sed hic quem uideo? Eun. 724. Sed uideon Chremem. Heaut. 405. Videon Cliniam an non? Curc. 274 quem conspicio?

§ 15.

Porro in interrogationibus indignantium pronominis pers. subiecti loco positi extant 135 fere exempla, ex quibus haec affero: Asin. 810 egon haec ut patiar aut taceam? Aul. 690 Bacch. 375. 637 s. (cf. libros, a quorum memoria Rl falso recessit)

Mil. 963. Pseud. 516. Rud. 1244. Trin. 378. Truc 758. (egone Loman. 'ego' libri) Heaut. 784. Phorm. 304. Acc. trag. fr. 227; ego ut: Andr. 263. 618. Eun. 771. — Asin. 884 s. Egon ut non domo uxori meae Subrupiam in deliciis pallam ss. Bacch. 196 s. Truc. 441 (bis). Apparere iam credo

Heaut. 1050. Sine te exorent (AF[1] exorem cett). Egon (A Egone cett.) mea bona ut dem Bacchidi dono sciens?

uix posse cogitari cum editoribus plerisque Bembini scripturam 'exorent' amplexis ad metrum restituendum de 'egon' uoce delenda, sed hunc locum esse in eis numerandum, ubi recensio Calliopiana uerum seruauerit. Neque facere possum, quin uersus Trin. 750 scripturam Ritschelianam ueram esse putem:

Ut égo nunc (SEDNUNCEGO A Sed ut ego nunc cett.) adulescénti thensaurum índicem?

nam hoc uno loco 'ego' pronomen 'ut' particulam sequitur, quamquam quomodo uersus sanandus sit, non habeo.

PARS II.

De collocatione pronominum personalium.

§ 1.

Nominatiuum pronominis personalis saepe initio uersuum (700 exempla numero) stare ex eius notione facile intellegitur. Atque etiam casus obliqui in principio uersuum (400) inueniuntur, maxime 'me' et 'te' (in 242 uu.). — In extrema uersuum sede crebrius casus obliqui occurrunt quam nominatiuus, qui extat solis 28 locis; casus obliqui exitum uersus efficiunt cc. 1200 locis, plerumque datiui 'mihi, tibi, sibi' (in 1068 uu.), quos scaenici in paenultima uersus sede, quantum potuerunt, uitasse uidentur.

§ 2.

Plautum quidem in collocandis binis pronominibus personalibus, quae in uno enuntiato coniunguntur, certas leges obseruasse post Seyffertum, qui Phil. XXV p. 459 ss. de 'egomet, tute' cum similibus formis pronominis personalis coniunctis egit, Mahler libello suo demonstrauit; quas leges exemplis Terentianis Rein pp. 3--6 et 15 illustrauit. Sed quamquam meis quoque obseruationibus normae a Mahlero constitutae comprobantur, tamen et Mahlerum et Reinium in quibusdam rebus errauisse opinor. Ille enim normis suis nimis seuere poetam constringere uult, quem nonnunquam sine causa perspicua ab usu recessisse apparet, omnesque uersus, qui legibus suis obstant, p. 49 ss. aut artificiose excusat aut contra codicum consensum mutat. Quod uitium quamquam Rein perspexit, tamen ne ipse quidem semper uitauit. Quare mihi liceat pauca de eis uersibus disserere, qui ab utroque male tractati esse mihi uidentur.

Atque nominatiuum et accusatiuum, qui est casus subiecti in acc. c. inf., ante ceteros casus pronominis pers. poni certo usu confirmatur. Sed quod Mahler dicit datiuum nominatiuo et accusatiuo postponi et praecedere ceteris casibus ex praepositione pendentibus, paucis id exemplis illustratur, multo pluribus refellitur, quae ille fere semper artificiosius excusare conatur. Omnia autem praecepta grammatica infringi sermonis ui naturali, ut ita dicam, nemo est qui neget; quare Mahlero concedendum est usitatum ordinem pronominum inuerti, si alterum accentu logico efferatur: id enim priorem sedem occupare oportet. Sed hanc excusationem nimis longe patere uult Mahler et saepe sententiae uim prorsus uiolat, quod paucis exemplis iam demonstrabo, cum de omnibus hic agere et temporis et loci ratio prohibeat.

Falsis rationibus, uelut accentu logico et sequenti uocatiuo, Mahler excusat multos locos, ubi poeta certum usum secutus a legibus recessit; quod cadit in uersum Aul. 45 *Tibi egó* rationem réddam, stimulorúm seges? In talibus enim indignantium uel mirantium interrogationibus datiuus ponitur ante nominatiuum;[1]) cf. Trin. 515 Tibi egó rationem réddam (cf. quae de hoc uersu dixi p. 43). Aul. 760. Bacch. 856 (cf. de hoc uersu a Mahlero non enotato p. 11). Capt. 611. Men. 683. Merc. 290. Mil. 55 (et Eun. 822). 627. 939. Most. 16. Pseud. 318. 626. 1155. Stich. 132. Truc. 266. Titin. fr. II 145, 81 s. Andr. 618. Eun. 496. Heaut. 920. Andr. 762 Tibi égo dico an non? sic BCEP, Fl, Sp, Dz. ed. Tibi dico ego DG (ut uidetur), Btl, U. sed semper 'tibi ego dico' (uel 'dicam') coniungitur, cf. Curc. 516. Mil. 55. 217. 434. Pseud. 227. 243. Eun. 496. Trin. 518 Arcáno tibi ego hoc díco. Neque melius perspexit Mahl. illud genus interrogationum, quibus insunt substantiua uerbalia, quae dicunt, ubi datiuus pronominis personalis semper pronomen 'quid' subsequitur et antecedit cetera pronomina (personalia, pronomina et aduerbia demonstratiua), uelut Aul. 423 Sed quíd *tibi nos* táctiost? (quam collocationem Mahl. p. 55 sequenti uocatiuo excusat); cf. Aul. 744

[1]) Ceterum 'tibi ego' coniuncta saepius in sermone affirmatiuo occurrunt: Aul. 49. Cas. 345. Curc. 516. Mil. 217. 434. 1022. 1213. Most. 804. Pers. 614. Pseud. 227. 243. Rud. 581. 947. Trin. 518.

Quíd tibi ergo meám me inuito táctiost? Cas. 302 et Curc. 626 Quid tibi istunc tactiost? Most. 34. Amph. 519. Asin. 920. Most. 6. 377. Poen. 1308. Rud. 502. Trin. 709. Truc. 511. 622 (bis). 623. Caecil. fr. II 45, 62. Repugnant autem huic usui, quantum uideo, duo uersus, ubi datiuus non subsequitur pronomen 'quid': Men. 1016 Quíd me uobis táctiost? — apparet Plautum metri causa, ad spondeum iambi loco uitandum, sic uerba collocasse — et Eun. 671, qui ab edd. cum A sic scribitur: Quíd hŭc tibi reditiost? cett. codd. 'tibi' omiserunt; sed solus Don., ut saepius, uerum seruat: Quid tíbi hŭc reditiost? Sed etiam mutauit Mahler usu Plautino non perspecto uerba poetae, uelut Capt. 236 Nunc út *mihi té* uolo esse aútumo; uolo te mihi Mahl. p. 31. sed 'te uolo' coniungi solere docuit Kellerhoff p. 80 s. de toto hoc loco cf. quae disputauit Sp in Phil. XXXVII p. 431.

Alios locos Mahl. p. 49 ss. et Rein excusant accentu logico, ad quem saepe ictus accedat, cum poeta etiam aliis locis, quos quidem Mahl. non respexit, eodem modo a norma recedere soleat. Quo in numero referendi sunt hi uersus: 1) Cist. III 15 nil *mecum tibi*; sed 'mecum tibi' est sollemnis collocatio in exitu uersus, cf. Curc. 688. Men. 369. Stich. 333. Adelph. 801. Heaut. 742. Phorm. 421. — 2) Mil. 32 *Mihi te* narrare (Mahl. p. 48), sed cf. Merc. 482 Tibi me narrasse; Rud. 947 tibi ego uolo narrare (quam collocationem Mahl. p. 56 antecedenti interiectione 'eho' excusat). — Contra codd. mutari uult Mahler: 3) Most. 804 Dó *tibi ego* operam. Do ego tibi Mahl. p. 13. sed cf. Pers. 614 Dó tibi ego operam; sic Rl recte cum A. 'ego tibi' cett., quos Mahl. sequitur. Mil. 1022 Patere atque asta: tibi ego hanc do operam; quam collocationem Mahl. p. 56 antecedenti imperatiuo excusat. Eodem modo Rein mutat: 4) Turpil. fr. II 87, 18 Pudét pigetque *meí me* (me mei Rein p. 24); cum apud eiusmodi uerba impersonalia saepius inueniatur genitiuus ante accusatiuum collocatus, quae exempla minime sunt mutanda. cf. Eun. 802 Miseret *tui me*. Enn. fr. I 21, 45 *tui me* miseret. Amph. 503 (distaedet). Asin. 933 (pudet).

Denique nonnullis locis uis sententiae efficit, ut ordo pronominum inuertatur, uelut Capt. 210 Únum exorare *uos* sínite *nos*; ubi 'uos' cum exorandi, 'nos' cum sinendi uerbo constructum esse

apparet; pronomina inter se transponi iubet Mahl. p. 30. idem male excusat p. 56 Pseud. 1149 hoc *tibi* erus *me* iussit ferre; nam 'tibi' et 'me' ad diuersa uerba, 'ferre' et 'iussit', sunt referenda; quod idem accidit in u. 982 'Erus meus *tibi mé* salutem múltam uoluit dícere; ubi Mahl. p. 32 'me tibi' proponit.

§ 3.

Jam uenio ad ea, quae mihi de collocatione pronominis possessiui indagasse uideor. Atque in eodem enuntiato si pronomen pers. cum pronomine poss. coniungitur (in cc. 260 uu.), fere semper nulla alia uoce intercedente nominatiuus pronominis pers. antecedit possessiuum (in 97 uu.), casus obliqui sequuntur (in 160 uu.); sin accusatiuus pronominis pers. est subiectum in acc. c. inf., aut ante aut post pronomen poss. inuenitur. Pronomina autem perss. et poss. ut crebro proxime coniungantur, fit alliterationis causa (cf. nos nostrum, meum mihi).

a. nominatiuus (et accusatiuus subiecti) antecedit possess.

Ab hoc usu iam a Reinio in comoediis Terentianis obseruato non receditur, nisi aut pron. poss. habet accentum logicum (Bacch. 599. Capt. 399. Men. 869. Mil. 1352. Most. 1078. Pers. 537. 747. 843. Pseud. 344. 1203. Rud. 615. Trin. 59. Truc. 711. Adelph. 398) aut propter metricam rationem (Cist. I 2, 14. Epid. 594. Adelph. 712). Omnino non huc referendos esse apparet hos uersus: 'mea tu' Rud. 463. Adelph. 289. Eun. 664. his enim locis 'tu' pro nomine proprio usurpatum substantiui uim habet; cf. Most. 346 et Pers. 764, ubi 'tu' omittitur. Neque uero est dubium, quin

Mil. 157 Víderitis aliénum, *ego uostra* fáciam latera lórea

cum Rl.io praeferenda sit Palatinorum lectio 'ego uostra' Ambrosiani scripturae, quam amplexus est Bx, 'uestra ego' (cf. Pseud. 145. Adelph. 165), et

Adelph. 749 Ita mé di ament, ut uídeo *ego tuam* inéptiam

recte secutus sit Dz codices ADG et Don., ubi codicum BCEFP collocatio a Fl.o et U.io probata etiam propterea offendit, quia pronomen subiecti loco positum, si *post* uerbum collocatur, alia uoce dirimi non solet (cf. § 10). Bacch. autem 381

Túa infámiá fecísti gérulifígulos flágiti

hiatus, qui intercedit inter 'Tua' et 'infamia' uocabula, si non est

tolerandus, non ita ut Rl in editione uoluit, 'tu' pronomine post 'Tua' inserto potest tolli, neque

Merc. 191 Quía negotiósi eramus *nós nostris* negótiis

debuit G cum Bothio et Rl.io 'nostris nos' edere (cf. Aul. 361 nos nostras aedis. Mil. 431 nos nostri. Stich. 694 et Phorm. 722 nos nostro). Mil. denique 1117

Qui pótius quam ut tute ádeas, *tuam* rem *túte* agas

dubito, utrum 'tute tuam rem' cum Seyff. Phil. XXV p. 461 scribendum an librorum scriptura retinenda sit, quam excusari posse neminem fugit.

b. casus obliqui pronominum perss., si cum possessiuis artius coniuncta sunt, postponi solent.

Rein quidem p. 43 contendit, sed minime probauit accusatiuum pronominis pers. praemitti casibus obliquis pronominum poss., id quod, ut dixi p. 19, pertinet ad eos solos accusatiuos, qui subiecti locum in acc. c inf. obtinent. Nolo eius sententiam ita refellere, ut singulos eius errores persequar: hoc dico eam, quam supra constitui, normam 160 fere exemplis Plautinis Terentianisque niti atque paucos modo extare locos, qui ab ea abhorreant. Quorum pars eo excusatur, quod casus obliquus pronominis pers. ui sententiae elatus antecedit, uelut Capt. 316 Quam *tu filium tuom*, tam *me meus pater* desiderat (chiasmus!). eadem ratio est uersuum Most. 50. Stich. 740 s. Truc. 387 s. Atil. fr. II 32, 1. in altera parte pronomen pers. antecedit attractum alia uoce, uelut pronomine interrogatiuo: Aul. 744 Quid tibi meam me inuito tactiost? (quo de usu disputaui p. 17 s.). Mil. 1087. Pers. 12. Rud. 442. Trin. 713. Andr. 272. Eun. 1058; uel pronomine personali, cf. Eun. 886 Ego mé tuae commendo et committó fide. Stich. 547 Ego tibi meam fíliam, bene quícum cubitarés, dedi; quamquam hic nescio an recte Rl scripserit: Ego meám tibi; cf. Trin. 1156 Filiam meam tibi desponsam esse audio. Aul. 228 si filiam locassim meam tibi. Andr. 635. Asin. 610. Denique metricam excusationem habent Rud. 696. Trin. 140. At non habeo quo modo excusem Asin. 112 s.

Nequíd nocere póssit, quom <tu> *míhi tua*
Orátione omnem ánimum ostendistí tuom

et 594 Mater supremam *mihí tua* dixít, domum ire iússit; atque

ut hic iam Lomann et Fl 'tua mihi' scripserunt, cf. Cas. 224 *tua mihi* odiosa est amatio; 'tua mihi': Merc. 157. Mil. 800. Pers. 328, ita ego priore loco 'quóm tu tua mihi' proposuerim, praesertim cum datiui pronominum perss. in exitu uersuum collocari soleant. Quae cum ita sint, rectissime se habet librorum scriptura

Capt. 977 Phílocrates, per *tuom te* genium óbsecro, exi: té uolo;

ubi Muellero, Pros. p. 549 hiatus uitandi causa 'te tuom' conicienti Bx non debuit obsequi; cf. u. 442 Haec per dexteram tuam te dextera retinens manu Obsecro. Amph. 923 Per dexteram tuam te, Alcumena, oro obsecro, atque Poen. 1387 e codd. scriptura 'per ego te tua te génua oro óbsecro' non 'per ego te tua gen.' ss., sed 'pér ego *túa te* gen.' ss. restituendum est. Neque

Rud. 1075 Sí ille te conprímere solitust, híc *noster nos* nón solet, —

sic libros habere ex Parei silentio colligendum uidetur — licet cum Fl 'nos noster' uerba transponere, cf. Heaut. 389 nostra nos. Poen. autem 1234

Etiám meae latránt canes? — At tu hércle adludiáto

(sic A, me meae latrant cett.) si ueram emendandi rationem inierunt LG, non tam 'me meae adlatrant' quam 'meae me adl.' scribendum est et

Trin. 1155 Dĕos uoló consília uóstra récte uórtere

ad uersum redintegrandum 'uobis' Hermanno auctore a Rl. io et Bx.io ante 'uostra' insertum potius post hanc uocem inserendum est, cf. Rud. 1176 Volup est, quom istuc ex pietate uostra uobis contigit; item si uersus

Truc. 821 Lóquere filiám meam quis íntegram stupráuerit

ita ut uult Schoell explendus est, rectius ponitur 'meam <mihi>' quam '<mihi> meam', cf. Cist I 1, 90 Neque pudicitiam meam mihi alius quisquam inminuit. Denique

Hec. 247 Phidíppe, etsi ego *meis me* (BCEFP, Fl, U. MEIS A me meis DG) omnibus scio (SCIOME A) esse ádprime obsequéntem;

uereor, ne non recte Dz. ed. DG secutis sit cum Maduigio 'etsi' delens; mihi quidem Calliopianorum librorum scriptura uerissima uidetur, cf. Adelph. 879 Ego quoque a meis me amari et magni fieri postulo. Capt. 181 meis me addicam legibus.

§ 4.

De pronominum personalium cum demonstratiuis coniunctione.

Pronomina perss. si cum demonstratiuis pronominibus uel aduerbiis componuntur, quod fit in 2260 uersibus, nominatiuus (et accusatiuus subiecti) pronominis personalis antecedit demonstratiuum, casus obliqui sequuntur. Sin autem demonstratiuum cum pronomine pers. coniunctum initium enuntiati uel uersus efficit, demonstratiuum antecedere solet etiam nominatiuum pronominis personalis (100 locis).[1]

a. nominatiuus pronominis pers. antecedit

α. pronomina demonstratiua.

Huc spectant 800 uu. Ex iis, qui repugnant locis fere 30, 14 eo excusantur, quod pronomen demonstr. ui sententiae effertur; 9 uu. habent metricam excusationem: Amph. 601. Asin. 45. Cas. 332. Mil. 1159. Pseud. 586. Truc. 944. Adelph. 829. Pacuu. I 105, 228. Trag. fr. inc. I 256, 142 Habeo ístam ego perterrícrepam; ubi ordo legitimus mutatus est propter metrum anapaesticum; 'istam ego' libri; Hábeo istanc ego pérterricrepam Rib. de reliquis uersibus iam agam. Atque uerus ordo in libris traditus est:

Asin. 123 Nam *ego illud* argentum tám paratum fílio; ubi 'illúc' cum Bothio et Bx.io scribendum, non 'illud ego' cum LG transponendum est, qua collocatione simul contra usum 'ego' a coniunctione 'nam' auellitur (uide § 7).[2])

Curc. 493 Et núnc idem dico. — Et commeminísse ego haec uolám te;

ubi quidquid de medii uersus emendatione statuas, neque cum

[1]) Huius generis est Cist. III 19 s. 'Ibo: *hanc ego* tétulero intra límen. — Abiit, ábstulit Mulierem; de cuius uersus emendatione utcunque iudices, hoc constat a uerbis 'hanc ego' initium enuntiati faciendum esse, cf. eiusdem fabulae II 1, 2 = Cas. 121 Hanc ego de me coniecturam domi facio. Pers. 455 Hanc ego rem exorsus sum facete et callide.

[2]) Quare recte emendauit Seyff. Stud. Pl. p. 20 Cist. I 2, 4 nam ego illanc olim; nam illam ego B teste Pareo. item Mil. 1049 proponam: Nam <ego> hunc anulum; 'ego' om. libri; nam hunc anulum <ego> Rl contra usum.

Lachmanno ad Lucr. p. 389 'Sed haec commeminisse ego uolam te', neque cum G.io 'atque ego commeminisse haec uolam te' scribere licet; nam semper dicitur 'ego haec', cf. Asin. 810. Men. 326. 330. Pseud. 227. Rud. 627. Truc. 312.

Epid. 363 Mi adémpsit orcus. — Núnc *ego hanc* astútiam instítui;

Pers. 306 Propera, ábi domum. — Núnc *ego huic* graphicé facetus fíam.

Horum etiam uersuum emendatio ita est instítuenda, ut 'nunc ego hanc', 'nunc ego huic' uerborum ordo tralaticius retineatur, id quod fefellit G.ium in priore cum Pylade 'astutiam hanc' et Rl.ium in altero cum Bothio 'huic ego' scribentes. cf. Pseud. 960 nunc ego hac. Eun. 144 Nunc ego eam. Bacch. 530 Nunc ego illam. Pseud. 1114 et Cas. 455 Núnc ego ĭllúm, ubi Gp temere mutauit 'Nunc illum ego'. Most. 1074 Núnc ego ĭlle húc ueniát uelím (ubi Rl 'ille' eiecit). Aul. 165 Núnc ego ĭstúm. Quibus exemplis confirmatur Bx.ii coniectura, qui Merc. 771 'Nunc égo uerum illud uérbum esse experiór uetus' 'ego illud uerum' restituit. Videtur autem Epid. locum Bx sanauisse 'astu' uocabulo post 'astutiam' inserto; in Persae uersu scripserim: Propera, abi domum <nunc>. — Nunc ego huic ss.

Mil. 236 Neque habet plus sapientiae quam lapis. aego mist nescio. (CD egom & istuc B ego istuc scio FZ). In extremo uersu Rl et Fl male ediderunt 'Istuc egomet scio'; apparet autem cum FZ scribendum esse 'ego istuc scio', quae formula saepius in exitu uersuum extat, cf. Asin. 869. Truc. 811. Hec. 877. Fortasse uersus sic constituendus est: . . . sapientiai (sic Muell. Pros. p. 62) quám lapis. — <'Et> ego istúc scio. cf. Men. 1094 et Rud. 1025 et multa exempla eius usus, quae collegit Seyff. Stud. Pl. p. 12 s.

Trin. 652 'Atque *istum ego* agrum tíbi relinqui ob eám rem denixe éxpeto.

Sic cum A Rl, Fl, Bx; sed legitimum pronominum ordinem seruauerunt Pall.: 'Atque ego ístum agrum tíbi relinqui ss.: accedit quod pronomen pers. 'atque' particula attrahi solet, qua de re exposui § 7. (cf. Epid. 217 atque ego illam. Mil. 288 Atque ego illi.) Eadem ratio inter A et Palatinorum recensionem intercedit

Poen. 1226 Nunc, pátrue, tu frugí bonae's. uin *hánc ego* apprehendám? — Tene.

sic A; Pall.: uin *ego hanc*, quod seruandum esse censeo, quamquam nescio, quomodo uersus conformandus sit. Inueniuntur autem 'ego hanc, ego hunc' coniuncta saepissime in fabulis latinis, uelut Mil. 1008 'Ego hanc continuo uxórem ducam ('Ego continuo uxorém hanc ducam Rl, Fl praeter necessitatem). Adelph. 312 Ut ego hánc iram in eos éuomam omnem (ego hanc iram A, U, Dz. ed. iram hanc — om. 'ego' — cett. codd., Btl, Fl). Pompon. fr. II 235, 63 Quíd futurumst, sí probe ego hanc <nunc> díscere artem atténderim? (hanc ego Rl). Pseud. 603 Iam pól ego hunc strátiotícum nuntium áduenientem próbe percútiam (hunc ego Rl; cf. § 8a et Kellerh. p. 61).

In Aul. uersu 567 Caedúndum *illum égo* condúxi (sic G cum libris), uerum seruauit unus Nonius 'Caedúndum cónduxi *égo illum*': cf. uu. 266 Credo ego illum iam inaudiuisse. 523. 670. 815.

Praeter librorum fidem falso ab editoribus pronomen additum est: Asin. 389 Si *istóc* exemplo <*tu*> ómnibus, qui quaérunt, respondébis (sic Fl, LG cum Acidalio, quod saltem 'si tu istoc' esse debet). Capt. 716 Quia *illí* fuisti <*tú*> quam míhi fidélior (sic Fl, ad 'mihī' mensuram euitandam, praeter necessitatem). Poen. 486 Ut quísque acciderat, *eúm* necabam <*ego*> ílico (sic LG cum Muell. Pros. p. 534; nescio an recte Camerarius: 'eum necabant'). Pers. 600 Suo árbitratu. — Quíd stas? adi (abi BDcFZ habi C habit Da A·.·BIS A) <*eum*> *túte* atque ipse itidém roga (sic Rl; Bugge in Opusc. philol. ad Maduigium p. 176 probante Langeno Beitr. p. 103: adi sis tute). Mil. 798 Militi ut darem: quasique <*ei*> *ego* rei sim interpres; sic Rl in textu, etiam in eo peccans, quod 'ei rei' uerba diremit; nam ea semper et coniungi et coniuncta monosyllaba esse (qua re etiam altera Rl.ii coniectura Bx.io probata: 'égo ĕi' refellitur) recte obseruauit Seyff. Stud. Pl. p. 25 adn. 17, quem tamen 'et <ei> rei sim ego' scribentem item opinio fefellit, cf. ego ei Bacch. 1098. Cas. 161 Curc. 360.

Corruptos esse hos uersus manifestum est:

Amph. 598 Dónec Sosia *ílle egomet* fécit sibi uti créderem;

Asin. 816 Suspéndam potius mé, quam tacita *tu haec* auferas;

quorum in priore non 'illic egomet' cum Lindemanno, ut LG fecerunt, sed cum Gugeto et Fl.o 'egomet ille' scribendum est, cf. u. 861 Ego sum ille Amphitruo. Aul. 704. Pers. 595. Adelph. 866 Ego ille agrestis; in altero, ubi Fl, LG cum Weisio 'haec tu' ediderunt, eo confidentius propono 'quam tu haéc tacita aúferas', quod 'quam tu' uerba coniungi solent (uide § 7). 'tu haec' inueniuntur etiam: Curc. 323. Stich. 326. Adelph. 100. Andr. 784 An tu haec omnia? (sic cum G U, Sp, Dz. ed.; haec tu B?CEP, Btl, Fl. alia necdū D). 910. Item Pers. 153 propter 'quam' particulae rationem scribam: Ter tánto peior ípsast, *quam tu illam* (illam tu Rl cum libris) ésse uis; cf. Cas. 23 s. Tun illam ducas? hercle me suspendio, *Quam tu eius* potior fias, satiust mortuom.

Similibus causis accedentibus Bacch. 869 Iam *illórum ego* animam ambórum exsorbebo óppido; et Truc. 844 Núnc habeas, ut nánctu's. uerum *hoc égo* te multabó bolo, scribere audeo 'Iam ego illorum' et 'uerum ego hoc'; nam coniungi solent et 'iam ego' (cf. Amph. 424 iam ego hunc decipiam. Aul. 678 iam ego illuc Men. 326 iam ego haec) et 'uerum ego' (cf. § 7 et Truc. 317 Verum ego illum).

Restant Capt. 349 Né uereare: mĕo periclo *húius ego* experiór fidem, et Most. 483 Quaprópter *id uos* fáctum suspicámini? Atque in illo uersu quin Fl et Bx 'ego huius' recte scripserint, eo minus est dubium, quod uix potest credi Plautum maluisse hiatum admittere quam sollemnem ordinem (cf. exempli gratia Bacch. 597. Men. 855. Poen. 379. Andr. 943) seruare. In altero autem loco traiectio uerborum 'uos id' facillima est: cf. Amph. pr. 11 Nam *uos* quidem *id* iam scitis.

β. aduerbia demonstratiua.

In coniungendis aduerbiis demonstratiuis (quorum in numero propter similitudinem usus etiam 'nunc' aduerbium referre liceat) cum nominatiuo pronominis pers. (in 300 uu.) sollemnis ordo inuertitur secundum usum in 134 uu., ubi demonstratiuum in principio uersus uel enuntiati extat. contra usum antecedit demonstratiuum in 28 uu., ex quibus 21 (hic: Men. 214, ubi libri 'quoquitur' habent, sed 'coquetur' scribi necesse uidetur. Most. 293. Truc. 896. Adelph. 175; hinc: Truc. 386; huc: Amph. 771.

Bacch. 834. Curc. 627; ita: Asin. 505. Pseud. 149; nunc: Aul. 133. Bacch. 857 et Merc. 712. — cf. Kellerh. p. 55 — Mil. 390. Pers. 606. Trin. 83. 125. Adelph. 701. Eun. 64. 70. 369) habent metricam excusationem, in 2 uu. demonstratiuum ui sententiae elatum praecedit; nullam excusationem habent Most. 393, ubi Rl fortasse recte uerba sic transposuit: Quid si igitur nos hinc abeamus? Acci. fr. I 142, 50. Enn. fr. I 40, 188 (nunc).

Amph. 660 Méus uir hic quidemst. — Séquere *hac tu* me ad Trin. uersus 1109 similitudinem 'tu hac me' scribendum esse censeo.

Amph. 689 sed quid *húc uos* réuortimini tám cito? 'uos huc' ut proponam, etiam ea causa commoueor, quod pron. interrog. personale subsequi solet, ut § 5 exposui. Aul. 666 Tantísper *hic ego* ad iánuam concéssero. Versum corruptum esse apparet; 'huc ego' post Lambinum edidit G, quod num recte fecerit, habeo quod dubitem; sed nihil dico nisi hoc 'ego huc' occurrere coniuncta in 16 uu. Legitimum ordinem traditum habemus in DGE: Phorm. 221 Sed quód modo *nos hic* (hic nos ABCFP et edd.) 'Antiphonem mónuimus; cf. u. 471 *nos* iamdudum *hic* te absentem incusamus. Aul. 431. Pacuu. fr. I 80, 28.

Hoc loco addere liceat nonnullos locos, ubi 'nunc' aduerbium extat. Atque 'tu nunc' in fabulis latinis 13 locis extat, 'nunc tu' paucis locis exceptis in solo principio uersus uel enuntiati legitur. Qua de causa praeferendam esse censeo Trin. 466 Palatinorum memoriam 'Ita *tu nunc* dicis' Ambrosiani scripturae 'Ita nunc tu', et Adelph. 697 cum Btl.io, Fl.o, U.io sequor potius Calliopianae recensionis lectionem: 'Obsecro, num lúdis tu nunc me? — 'Ego te? quam obrem? — Néscio; (cf. Heaut. 398 *tu nunc* sola reducem *me* facis. Pers. 850 *tu nunc me* inrides?) quam Bembinianam 'nunc ludis tu me' aut libros DG, quibuscum facit Dz: num ludis nunc tu me (ludis te me nunc Don.). In Most. autem uersu 1081 Quíd iam? Scio iocáris *nunc tu*: nam ílle quidem <edepol> haúd negat; quamquam Veteris scripturam 'tu nunc tu', cum prius 'tu' inductum sit, ad librarii errorem referendam esse apparet, tamen 'iocaris tu nunc' scripserim, quoniam pron. pers. subiecti loco adhibitum, si postponitur, a uerbo suo dirimi non solet; et Rud. 1076 'Verbo illo modo ílle uicit. quíd *nunc tu* uis? díc mihi': 'tu nunc',

quoniam pron. interrogatiuum personale subsequi solet (cf. § 5). cf. Men. 402 Périi misera. *quám tu* mihi *nunc*[1]) náuem narras? — Lígneam. Qui usus cum seruetur tum quoque, cum aliae particulae interrogatiuae praemittuntur, Cas. 186 'Séd *utrum nunc tu* caélibem te ésse mauis líberum' 'tu' ante 'nunc' collocauerim. Nullam denique fidem habent hi loci: Most. 1119 'Aliud te rogo. — 'Aliud ergo *núnc ego* (sic Rl abusus Veteris scriptura 'aliud ego nunc', 'aliud ergo nunc' recte cum CD Lor, Bugge, Ussing) tibi respóndeo. Rud. 533 Utinám fortuna *núnc <ego>* anatina úterer ('ego' addidit Fl). Truc. 923 Quámquam es bella, málo tuo's, nisi *núnc ego* aliqui gaudeo (sic Schoell, nisi tu ego codd.). At Pers. 61 'Unde *égo nunc* quaestum optíneo et maiorúm locum' recte uidetur restituisse Bergk Phil. XVII p. 45 pro Unde ego hunc (hunc ego Rl), cf. unde ego nunc Phorm. 534.

b. casus obliqui pronominis personalis postponuntur

α. pronominibus demonstratiuis.

In 652 fere uersibus casus obliqui pron. pers. sequuntur pronomen demonstratiuum. ordo inuertitur in 80 uu., de quibus 51 rationibus metricis, ut Mil. 570 (cf. p. 29), excusantur; in 23 pronomen pers. antecedit, quia in eo uis sententiae posita est; nullam habet excusationem Men. 679. denique nonnulli uersus contra codices mutandi mihi uidentur, de quibus infra disseram. In permagno numero harum exceptionum pronom. pers. cum demonstratiuo coniunctum efficit uersus initium, quod simili licentia a poetis tractatur atque exitus. Neque uero in hunc numerum referendi sunt ei uersus non pauci, ubi casus obl. pronominis pers. alia uoce antecedenti attrahitur, uelut: nam mihi is, quin tibi hanc, ego te hoc (Curc. 208, similiter Stich. 701 pácto ego técum hoc

[1]) 'nunc' hoc solo loco legitur in hac formula, cf. Cas. 215 Quam tu mi uxorem? Curc. 545 s. Quas tu mihi tabellas, Quos tu mihi luscos libertos, quos Summanos somnias? 613 s. Quod argentum, quas tu mihi tricas narras? quam tu uirginem Me reposcis? Men. 321 s. Quas mulieres, Quos tu parasitos loquere? Pseud. 1195 Quem tu Pseudolum, quas tu mihi praedicas fallacias? Truc. 283 s. Quas tu mulieres Mihi narras?

B, ubi 'ego hŏc técum' cett. cum A; Adelph. 192), quid tibi istanc tactiost? (quo de usu cf. p. 17 s.). Item ab hoc genere segreganda sunt haec exempla: Bacch. 1044 Miseret me illius. Cist. IV 2, 103 At me huius miseret. Rud. 1090 ut te huius conmiserescat. Pompon. fr. II 237, 79 Miseret me eorum. his enim locis accusatiuus munere fungitur subiecti, quod aut ante aut post demonstratiuum poni supra dictum est. Neque uero recte ab hominibus doctis legitimus ordo contra librorum fidem turbatus est:

Asin. 631 Quia ego hanc amo et *haec me* amat: huic quód dem nusquam quícquamst:

LG cum Rl.io: et med haec amat; fortasse Plautus scripsit 'átque haec méd amat'. haec me Amph. 809. Men. 386. Most. 166. 172. 184. 282. Truc. 575. Andr. 251.

Aul. 722 Tantúm gemiti et mali <et> maéstitiae || *hic* diés *mi* optulit, famem et paúperiem.

(mi hic dies G) cf. Pers. 773 optatus *hic mihi* (mi hic Rl) *dies* datus hodiest ab dis; 780 pessumus *hic mihi dies* hodie inluxit corruptor. item 'hic mihi' fortasse ponendum est Epid. 685 'Ilicet: uadimónium ultro *hic míhi* ('mihi hic' libri; mi hic G) facit! — Quin cónligas? cf. hic mihi Men. 644. Mil. 365. 576.

Merc. 919 Omnibus *hic* ludificatur *me* modis. ego stultior (Rl cum Gulielmio: Omn. me lud. hic mod.) 'hic me' crebro coniunguntur, cf. Amph. 407 nonne *hic* modo *me* pugnis contudit? Quomodo uersus ad suos numeros redigendus sit, nescio, nisi quod hic uocabulorum ordinem non mutandum esse contendo.

Pseud. 983 Hánc epistulam áccipe a me. *hánc me* tibi iussít dare: ('tibi med hanc' unus Rl; sed cf. Trin. 898 Hanc me iussit Lesbonicus dare suo gnato epistulam. Men. 480 Ait hanc dedisse me tibi). Vix dubium uidetur, quin etiam Merc. 126 'Numquam édepol omnes bálinae *mihi hanc* lássitudinem éximent', 'hanc mihi' ponendum sit; cf. hanc mihi Asin. 676. Cas. 690. Cist. I 1, 41. Mil. 5. Pers. 48. Poen. 469. 543. Pseud. 691. Adelph. 162. 238. Andr. 297. 696. 697. Hec. 605. Phorm. 161. Acci. fr. I 140, 37. Pacuu. fr. I 102, 208; in solo u. Stich. 438 praeter illum locum inuenitur 'Mi hanc', sed in principio uersus.

Rud. 484 Siquidem *hís mihi* ultro ádgerunda etiámst aqua

Si quidem mihi ultro his ádg. ss. Fl ad hiatum tollendum, qui si est remouendus, alia adhibenda est medicina. cf. his mihi Pseud. 1111. hi mihi Adelph. 421.

Andr. 355 . . . ut dicam *haéc tibi.*

sic recte cum D U, Dz. ed.; tibi haec BCEGP, Btl, Fl, Sp, quae collocatio etiam ideo offendit, quod 'tibi' datiuus fere semper in fine uersus ponitur; cf. has uersuum clausulas: Phorm. 967 *haec* suspectást *tibi.* Epid. 101 *haec* obiectást *tibi.* Truc. 579 *haec* iussít *tibi.*

Cas. 162 '*Illum mi* aequiúst, quam me illi, quaé uolo, concédere. (Gp Mihi illum). cf. illum mihi Bacch. 452. Rud. 1353. Itaque tradita uerborum collocatio etiam seruanda est Merc. 451 'Póst autem communis ést *illá mihi* cum alio. quí scio', nisi quod illaec' pro 'illa' ponendum esse uidetur (G cum Rl.io: mihi illast cum alio <quodam>.) cf. Mil. 492 Metuo illaec mihi res ne malo magno fuat. Itaque Rud. 1298 scripserim: Adeúndus *illic mi* ést homo: di quaéso subueníte (mi illic Fl): cf. illic me Amph. 317. Pseud. 1120.

Mil. 292 Líppus uideor? — Médicum *istuc tibi* (cum libris Fl, Rl praef. Stich. p. XVII, Rib. tibi istuc Rl in editione. istuc te Bx cum Luchsio) méliust percontárier; cf. Cist. II 1, 33 Satin istuc tibi. Amph. 564. 763. Asin. 234. Bacch. 52 Nón ego istuc mihi fácinus (sic Rl in adn. et Opusc. I p. 303, libri 'istuc facinus mihi') mulier, cónducibile esse árbitror. Poen. 912. 1002. Itaque si Aul. 546 G cum Muellero Pros. p. 383 recte scripsit 'Plus plúsque <*tibi*> *istuc* sóspitent, quod núnc habes', statuendum est Plautum uerbum spondiacum in secundo pede iambi uitare uoluisse ut Mil. 570. ad hanc normam nescio an scribendum sit Mil. 318 Nón tu istam tibi praétruncari línguam largiloquám iubes? (Non tu tibi istam Btl et Rl. Noui & ibi istam B Nonuu & ibi Da Non me tibi Db); cf. ego istam tibi Amph. 718. Turpil. fr. II 99, 111. ego istuc tibi Cas. 131. tu istuc mihi Eun. 819.

Bacch. 1097 Omníaque ut quicque actúmst memorauit: *eam sibi* (cum libris Fl; memorat: sibi eam Rl cum Hermanno) hunc annum cónductam.

cf. eam sibi Aul. pr. 34. Cas. pr. 42. Cist. I 3, 24. item Men. 689 Túte ultro ad me détulisti, dédisti *eam* donó *mihi* (dono mihi

dedisti eam Rl). cf. Eun. 135 emit eam dono mihi (item in extremo uersu). Aul. 238. Rud. 1269. repugnat solus u. Men. 679 Míhi eam redde; qui tamen excusari uidetur licentia a poetis saepius in principio uersus admissa.

Andr. 548 Utríque, *id te* oro ín commune ut cónsulas

Omnium quae ad hunc locum prolatae sunt coniecturarum pessima est Fabricii et Btl.i 'id oro te', quos non debuerunt sequi Fl, U, Sp. nam semper collocatur 'te oro', non 'oro te', cf. u. 556 id te oro. Heaut. 623 hoc te oro. te oro Adelph. 190. 253. Andr. 595. Hec. 721. Phorm. 1020. Capt. 244. Men. 1054. Pseud. 657. Rud. 629. Pacuu. fr. I 92, 122. Turpil. fr. II 110, 211. te orat Rud. 1152. te oret Adelph. 941. te orabam Hec. 498. te orabo Rud. 634. te orare Mil. 971. tecum oro Bacch. 494. 1177. me oras Trin. 1171. me orat Bacch. 42. me ores Andr. 826. me orabis Capt. 942. me orauisti Capt. 515. Vid. fr. V 29. me orauit Cist. I 2, 19. Trin. 449. Hec. 445. me orassis Epid. 728. mecum orauit Merc. 530. uos oro Eun. 1084, quibus locis apparet orandi uerbum pronomen pers. subsequi solere, quam ad normam spectant etiam Capt. 337 séd ted oro <hoc>, Hégio; sic Fl, Rl, N. Exc. p. 30, ubi num 'hoc' recte additum sit, dubito (te id oro codd. tecum oro hoc Bx). u. 1021 Séd dic, oro <té>, pater meus tún es? ubi 'te' Fl, quod 'ted oro' esse debet; sed recte collocauit Rib Pompon. fr. II 234, 61 te oro ('oro te' libri), uáso, per lactés tuas. praeterea in solo u. Epid. 728 'Óro te, 'Epidice' inuenitur in uersus exitu, ubi metrum aliam collocationem non admittit. Sed ut ad Andriae locum redeam, etiam de Reinii (p. 14) coniectura 'id <ego> te oro', quam Dz. ed. amplexus est, uehementer dubito.

β. casus obliqui pronominis pers. postponuntur aduerbiis demonstratiuis, quibus hoc quoque loco adiungo 'nunc' aduerbium.

Antecedit aduerbium demonstr. in 512 uu., qui ordo inuertitur in 55, de quibus 27 habent metricam excusationem; in 7 uu. pron. pers. praemittitur propter accentum logicum, quae exempla omnia extant in principio uersus uel enuntiati; denique 9 uu. (huc: Merc. 1001; ita: Pseud. 697. Stich. 128; nunc: Bacch. 130. Pseud. 391. 1134. Eun. 786. Heaut. 840; sic: Phorm. 948) nullam habent

excusationem. Non in hunc numerum referenda sunt ea exempla, ubi pron. pers. antecedit alia uoce attractum, uelut: num me illuc, qui tibi nunc, ego me illac (Most. 931), nos te hic (Phorm. 747), quam mox te huc recipis? (Truc. 208.)

Temere autem quidam legitimum ordinem mutauerunt, quem Most. quoque 1016 ab A codice praeberi Gp (de cod. Ambr. p. 22. cf. eiusdem Stud. Pl. II p. 79) auctor est: Quid aútem? — Quod me absénte *hic tecum* (tecum om. Pall. tecum hic Rl cum Camererio) fílius Negoti gessit. Men. 675 Quís *hĭc me* quaerit? (Rl me hic). Mil. 441 Quíd *hĭc tibi* in Epheso ést negoti? (Quíd tibi in Epheso hic ést neg. Rl, Fl.) Rud. 556 Jam is éxhibebit *hic mihī* negotium (Is exh. hic iam mihi neg. Fl); cf. hic mihi Amph. 640. Poen. 955. In eodem ordine cum etiam Men. 1137 'Namque edepol *hic mihi* hodie iussi prandium adpararier' et Most. 501 'Decéptus sum, hospes *híc me* necauit' libri consentiant, alia emendandi ratio ineunda uidetur atque inierunt editores, qui in priore uersu 'Namque edepol mi hic hodie', in altero 'me hic necauit' scribunt. Atque de hoc uersu uideant alii, in illo propono: Namque edepól hodie hic mihi. Neque Asin. 934 'Cáno capite té cuculum úxor ex lustrís rapit' siquidem hiatus in diaeresi ferri non potest, LG recte 'hinc' post 'cuculum' inseruerunt; nam semper collocatur hinc te, cf. Capt. 384. 1018. Rud. 944. Andr. 590. 708. Heaut. 176 autem quin recte restituerit Conradt (De uers. Terent. structura p. 12 s.) sollemnem ordinem: 'Et illam simul cum núntio *hic tibi* ádfuturam hodié scio' ('tibi hic' cum libris Fl, U, Wg) cum Dz. ed. non dubito; cf. u. 829 Eccum hic tibi. Hec. 400, saepius alibi. Pseud. 1164 Heús memento ergó dimidium *istínc mihi* de praedá dare (mihi istinc Rl, Fl, Lor).

§ 5.

De pronominibus et aduerbiis interrogatiuis.

Cum pronominibus et aduerbiis interrogatiuis personalia, ut consentaneum est, ita coniungi solent (706 locis), ut postponantur, atque plerumque ita, ut nulla uox intercedat; si qua intercedit, uix aliter fit atque eis de causis, quas iam identidem commemorauimus, propter necessitatem metricam (Amph. 341. 409. Aul. 436.

Curc. 304. 721. Epid. 615. Men. 998. 999. Merc. 652. Mil. 299. 925. Pers. 482. 531. Pseud. 636. 653. Rud. 98. Stich. 253. Truc. 542. 796. Phorm. 130. 381) uel in uersus exitu (Amph. 364. Aul. 636. 644. Bacch. 884. Capt. 669. Cas. 29. Mil. 1325. Pers. 268. 623. Pseud. 18. 78. 1080. 1147. Rud. 1058. Vid. fr. III 31. Acci. fr. I 194, 455. Laber. fr. II 282, 19). E 6 uersibus, in quibus pron. pers. antecedit, 5 habent excusationem. Atque propter uim sententiae pron. pers. ante interrogatium ponitur Bacch. 195. Men. 648. Adelph. 35; necessitate metrica excusantur 2 uu.: Heaut. 211. 492. Caue in hunc numerum referas Most. 556 Ego quid censeam? et Eun. 650 ego quem quaeram?[1]) Pseud. autem 696 'Cómmemini omnia: íd tu modo, *me quíd* uis facere, fác sciam' hos locos conferenti: quid me facere uis? Bacch. 1155. Poen. 353. Quid uis me igitur dicere? Merc. 484. Quid me uoltis? Merc. 868. Quid igitur me uolt? Stich. 253. quid me uelles Stich. 328. quid me uoluisti? Mil. 1025. Phorm. 291, aut cum edd. uett. 'quid me' scribendum aut memoria codicum ita seruanda uidetur, ut interpungatur: id tu modo me, quid uis facere, fac sciam. Nullam denique fidem habent Casinae uersus 527 et 615, quales a Gp.o iambice dimetienti editi sunt: 'Respice modo ad me. — Ere mi. — *Tibi quid* est? quid timida es? — Perii', et 'Sapis sane. — Tuos sum equidem. *Mihi quid* opust seruo tam nequam?' nam utroque loco libri praebent legitimum ordinem: 'Respíce modo ád me. — 'Ere mi. ‖ — Quid tíbist? quid tímida's? — Périi' (sic cum A distingendum et iambice dimetiendum est; 'quid tibist' inuenitur 17 locis, 'quid est tibi? in uno u. Epid. 615, numquam 'tibi quid est?') et 'Sapís sáne. ‖ — Tuós sum équidem. ‖ Quid míhi opust séruo tám nequám?' (ultima uersus pars anapaestice est dimetienda; 'quid mihi opust? Aul. 723. Stich. 81).

---

[1]) sic hi uersus uulgo eduntur, cum scribi necesse sit secundum librorum auctoritatem: Quid núnc faciundum cénses? — Egon? quid cénseam? et 'quem quaeris, Pythias? — Ebem, Phaédria, egon? quem quaéram? similis est ratio uersuum: Cas. 29 Quid tú mihi facies? — 'Egone? quid faciám tibi? Eun. 191 numquid uis áliud? — Egone? quid uelim? Caecil. fr. II 73, 232 'Egone? quid dicam? Hec. 849 Egone? te pro hoc núntio quid dónem?

§ 6.

De pronominibus et aduerbiis relatiuis.

Cum relatiuis etiam pronominibus et aduerbiis pronomen pers. ita coniungi solet (cc. 976 locis), ut postponatur.

a. de pronominibus relatiuis.

Atque pronomina rell. cum pronominibus personalibus hoc modo composita leguntur in 816 uu.; recedunt a norma modo 41, in quibus omnibus pronomen pers. cum relatiuo nulla uoce intercedente est coniunctum; quorum maior pars quamquam habet excusationes, tamen notandum est, ut in sermone pedestri ita in fabulis saepius usurpari illud hyperbaton, per quod aliquod membrum enuntiati relatiui eximitur e structura et ante totum enuntiatum ponitur. propter uim sententiae pron. pers. antecedit in 25 uu., quorum in plerisque 'ego' uel 'tu' ut subiecta enuntiatorum, et primarii et secundarii (relatiui), toti sententiae praemittuntur, uelut Bacch. 1153. Stich. 75. propter necessitatem metricam ordo inuertitur in 5 uu. hyperbaton autem habemus nulla alia causa intercedente in 6 uu. (Asin. 506 s. Aul. 574. Bacch. 42. Capt. pr. 53. Epid. 329. Stich. 386). denique caue hunc in numerum referas hos 5 locos: Asin. 263. Bacch. 935. Andr. 922 Eun. 142. 761, ubi pron. pers. antecedit attractum uocibus 'hercle, nam, sed'. Uno loco uaria est librorum memoria, Mil. 20 Praeut ália dicam, *quaé tu* numquam féceris; sic A, ut uidetur; tu quae cett., Rl, Fl, Bx. sed cum 'quae tu' inueniatur 18 locis, 'tu quae' nusquam, Ambrosianum sequar, quamquam saepius nominatiuum pronominis pers. ante relatiuum collocatum inueniri concedo. Jam breuiter compono eos locos, ubi homines docti legitimum ordinem omnibus libris traditum mutauerunt:

Mil. 45. Sunt hómines, *quos tu* óccidisti unó die; 'tu quos' cum Pylade Bx; sed 'quos tu' semper dicitur, cf. Curc. 546. Trin. 654. 893. 920.

Curc. 656 Hic ést, *quem ego tibi* mísi natalí die
quem tibi ego Rl. ego quem tibi G cum Gugeto; sed 'egō' nullam habet offensionem. 'quem ego' legitur 47 locis, 'ego quem' extat

nusquam. cf. quem ego me Aul. 697. Laber. tr. II 281, 13. Trag. fr. inc. I 242, 52.

Fragm. Plaut. apud Macrob. Sat. III 16, 4: *Quoius ego* latus in latebras reddam meis dentibus et manibus; quem uersum ut antecedentes Rl Opusc. III p. 197 in formam septen. iamb. sic redegit: Quoius látus in látebras réddam egó meis déntibús et mális: in qua coniectura cum alia displicent, tum 'quoius ego' uerba dirempta. item 'quoius ego' in initio uersus stant Amph. 589. Most. 1067. Poen. 274, in medio uersu Amph. 141. 'quoius tu' in initio Mil. 17. Phorm. 60, in medio uersu Cas. 611.

Capt. 834 Respice. — Fortuna *quód tibi* nec fácit nec faciet, mé iubes; sic recte, ut uidetur, Bx 'hoc', quod libri ante 'me' habent, omisso; Fl satis uiolenter: Réspice <me>. — Fortúna tibi quod nec faciet nec <núnc> facit ss. 'quod tibi' habes in 30 uu., 'tibi quod' in 4 (Men. 1129. Heaut. 210. 221. 595 s.), ubi tamen 'tibi' habet accentum logicum.

Cas. 621 Gladiós Casinam íntus habíre aiúnt, ‖ *qui me* átque te íntérimat;

sic A, te inuitat Pall. *med* átque te *quíbus* interimat Gp temere. 'qui' defenditur his uersibus: Curc. 525 Istas minas decem, *qui me* procurem. Pseud. 541 dolis *Qui me* argento interuortant (Fl, Lor. 'circumuortant' libri. Qui arg. circumuortant Rl om. 'me'). Andr. 512. Capt. 1003. 'qui me' praeterea inueniuntur coniuncta Capt. 1004. Pseud. 89. Enn. fr. I 37, 169.

Curc. 267 *Qui tibĭ* auxilio (auxilium B) in íure iurandó fuit. quo de uersu uarie ab hominibus doctis tractato ('auxilium tibi qui . . . tulit' cum Camerario Fl, Auxilium qui tibi in iúre iurandó tulit Muell. Pros. p. 350; Auxilio t. q. . . . fuit G) quidquid statuendum est, equidem non audeo 'qui tibi' uerba aut transponere aut tralaticio loco remouere: nam in uersuum principiis rarissime uerum uerborum ordinem a librariis mutatum esse constat. cf. Men. 302 Non scís quis ego sim, *quí tibī* saepíssume Cyathisso, tibimet qui Rl. 'qui tibi' leguntur in 11 uu., propter uim sententiae 'tibi' antecedit Mil. 846. 1365. Poen. 445. Heaut. 966. Eadem est ratio uersus

Men. 495 *Qui mihi* male dicas homini hic noto insciens ubi Rl traiectione 'Mihi quí m. d. síc hom. ign. sciens' alliterationem

'mihi male' delet. cf. Capt. 939 Pígnus pro me, *quí mihi* melior, quám sibī sempér fuit; 'mihi qui, sibimet' temere Fl item alliteratione 'mihi melior' sublata. ('qui mihi' legitur 47 locis, 'mihi qui' nusquam.)

Pseud. 479 Sed quíd ais? quid hoc *quod té* rogo? — Quid uis roga:

sic Fl, cui adstipulatur Muell. Pros. p. 211, Lor. 'si quid uis' libri. quid quod rogo te. — Si q. u. r. Rl contra usum; nam (ut 'te oro') semper dicitur 'te rogo'.[1]) 'quod te rogo' legitur 12 locis. item male coniecit Rl u. 967 Heús tu, qui cum hirquína stas barbá, responde quód rogo; Heús, cum hirq. qui <á>stas barba, résponde <hoc>, <*te*> *quód* rogo Rl.

Andr. 599 Ibo ád eum atque eadem haec, *quaé tibi* dixi, dícam itidem illi. — Núllus sum.

'tibi quae' contra libros edd. omnes inde a Btl.io, qui fortasse 'tibi', quod accentum logicum haberet, ictu percuti uoluit. sed ictum a Terentio et a Plauto secundum solam uersus structuram pon neglecta saepe ui sententiae apparet ex multis locis, cf. u. 480 Nunc húius periclo fít, *ego* in portu náuigo. 968 Príus resciscerés *tu,* quam ego illud. Phorm. 846. Amph. 439. 'quae tibi' coniuncta habes Adelph. 858. Curc. 325. Mil 951. Pseud 218. 430. 451 701. 1311. Enn. fr. I 38, 175.

b. de aduerbiis relatiuis.

Cum aduerbiis rell. pronomina perss. coniunguntur in 115 uu ita, ut postposita sint: inuersus est ordo 6 locis (Bacch. 204. Pers. 383. Pseud. 490. Stich. 730. Andr. 335 Caecil. fr. II 56, 127), quibus omnibus illud est commune, ut nulla inter pron pers. et aduerb. relat. intercedat alia uox (in omnibus fere his uersibus pronomen habet accentum logicum).[2]) Eandem normam cum etiam

[1]) Quare recte deff. Bergk, index lectt. Hall. 1858/59 p. X s. 1862/63 p. V, Seyffert de bacch. uers. usu Pl. p. 13 Pseud. 1267 néquis mé roget. nequis roget me Rl contra usum et libros. cf. Eun. 847 nequis me cognosceret.

[2]) Atque incerti sunt hi uu.: Truc. 883, ubi Schoell cum Bothio traiecit: Númquid uis? — Fac uísas me (facultas' libri). — Operae mi úbi ('ubi mihi' libri) erit, ad te uénero; sed ceteris omnibus locis

in altero genere obseruare soleat Plautus, recte Fl putandus est retinuisse librorum scripturam

Bacch. 83 *Ubi tu* lepide uóles esse tibi, 'méa rosa' mihi dícito; (Úbi uoles tu tíbi esse lep. Rl.) 'ubi tu' in 17 uu., 'ubi ego' in 16 coniuncta extant; alia uoce dirimuntur in duobus uersibus Poen. 148 'ubi dissolutus tu sies', Aul. 204 'ubi mentionem ego fecero', sed, ut apparet, propter necessitatem metricam.

§ 7.
De coniunctionibus quibusdam.

Pronomina perss. etiam cum coniunctionibus, aduerbiis, particulis quibusdam ita coniungi solent, ut posteriorem locum teneant et plerumque quam proxime ad ea accedant. Atque primum quidem disputabo de locis nonnullis, ubi homines docti in scriptura constituenda non satis rationem habuisse putandi sunt eius normae, quam poetae scaenici in coniunctionibus cum pronomine pers. componendis secuti sunt.

Bacch. 279 Dum círcumpecto, átque ego lembum cónspicor; hiatus causa Rl post 'circumpecto' 'me' inseruit, quod si excidisse uerum est, post 'dum' excidisse probabilius est, id quod statuit Fl: Dum <me> circumsp.; nam inter 'dum' et pron. pers., siue ante siue post coniunctionem locum habet, aliud uocabulum intercedere non solet, cf. Mil. 950. Cas. 263.

Capt. 534 Núnc *enímuero ego* óccidi

sic recte cum libris Bx. nam 'uero' ipsum quidem semper pronominibus postponitur (cf. ego uero Amph. 755. Asin. 645. Poen. 1418. Stich. 669 . . .), sed 'hercle uero, enim uero' antecedunt. Falso igitur Fl uersum iamb. efficiens scripsit: Enim uéro nunc ego ócc. (cf. § 4 a); cf. Trin. 958 'Enimuero ego nunc. Pacuu. fr. I 124, 165 [1] Immo enimuero ego.

---

dicitur 'ubi mihi': Bacch. 72. Cist. I 2, 18. Men. 609. Poen. 855. Pseud. 913. Eun. 165. Heaut. 616; quare equidem proponam: N. u. -- Fac uáleas (cum Acidalio). — Operae ubí mi erit ss. Enn. fr. I 67, 350, quem locum notat Cic. de or. I 45, 199: unde sibi, si non populi et reges, at omnes sui ciues consilium expetant; Sibi únde pop. et rég. cons. éxp. Rib; sed cf. unde tu Pers. 494. unde mi Rud. 412. unde tibi Cist. II 3, 19.

Capt. 865 Pro in tu deum hunc saturitate facias tranquillum tibi (BJ). Bx uersum sic explere posse sibi uisus est: Proin deum tu hunc; sed a 'proin, proinde' particulis numquam pronomen 'tu' alia uoce auellitur. 'proin tu' cum imperatiuo coniunctum est Amph. 311. Cas. 25. Stich. 668. Andr. 408. Eun. 56. 106. Heaut. 117. Acc. fr. I 177, 309. Afran. fr. II 187, 186 (proin tute Trin. 977). cum coniunctiuo: Bacch. 739. 1061. Capt. 551. 855. Epid. 455. Men. 327. 782. Pers. 570. Pseud. 1197. Rud. 1331. Captiuorum autem ille uersus nescio an sic ad suos numeros redigendus sit, ut pro 'deum' ponatur 'diuum'.

Cas. 75 Ego hic ero, uir *si* aut quispiam quaeret;

sic libri; <me> si Gp, debuit saltem 'si me'; cf. Mil. 480 Erus si ueniat, *si me quaeret*, hic ero. Most. 1075 Siquidem pol me quaeris. Phorm. 51 Siquis me quaeret rufus ss. In 396 uu. 'si' et composita (siu, seu, etsi, nisi, quasi, quodsi, siquidem, siquis) ante pron. pers. posita sunt, pronomen antecedit in 33 uu., quorum in 17 ui sententiae elatum est, in 9 est subiectum totius sententiae (et primariae et secundariae), in 5 attrahitur coniunctione aut pronomine demonstratiuo; duo uersus denique habent excusationem metricam. huc spectat etiam u. Poen. 875 Quid iam? — *Quasi tu* tacere uero (A, om. cett.) quicquam potis sis. — Rectius; non recte Muelleri (Nachtr. p. 39) coniecturam 'Quasi uero tacere' (om. 'tu') LG receperunt, nam 'tu' in talibus enuntiatis usurpari solet, cf. Cas. 229 et Men. 638 quasi tu nescias. Curc. 78, Merc 957, Pseud. 634, 635, Andr. 502 quasi tu dicas.[1]) Andr. 890. Hec. 110. Prorsus ab usu abhorret, quod Guyet coniecit: Quasi tacere quicquam tu potis sis; nam 'quasi' a pronomine (quocum 27 locis coniungitur) numquam alia uoce interposita dirimitur. Versus quomodo sit emendandus, uiderint alii; ego censeo 'tu' pronomen, in quo omnes libri consentiunt, esse retinendum.

Men. 677 Scín quid est, quod ego ád te uenio? -- Scío, *ut tibi* ex me sít uolup.

tibi ex me ut Rl, qui hoc non animaduertit, pron. si praemittitur (quod fit 73 locis ex 423, ubi pron. pers. cum 'ut' coniunctione

---

[1]) 'quasi dicas' (om. 'tu') inuenitur Merc. 512. Pseud. 609. Rud. 99. Trin. 891. Truc. 641.

componitur), ab 'ut' coniunctione alio uocabulo non diuelli (exceptis uersibus Amph. 1085. 1086. Bacch. 644. Mil. 661). Atque ex illis 73 locis eos, in quibus 'egon ut' similia extant, p. 14 s. enotaui; in 16 aliis uu. pronomen antecedit propter uim sententiae (i. e. quia habet accentum logicum aut quia est subiectum enuntiati primarii et secundarii). 5 locis pron. attrahitur antecedenti pronomine demonstratiuo (is) aut interrogatiuo (qui) aut coniunctionibus (at, nam). 27 uersus habent metricam excusationem. denique nulla ratione excusari mihi uidentur Asin. 736 Noctem húius et cenám sibi ut (libri, LG; ut sibi Reiz, Fl) darés. Epid. 729, Men. 1155, Poen. 788 mihi ut. Non falsa igitur per se quidem uidetur esse Pall. lectio, quam amplexus est Rl Pers. 417 Sine réspirare mé, *tibi ut* respóndeam, ubi tamen A multo usitatiorem ordinem praebere uidetur: ut tibi. Neque uero iusta causa est, cur ab eo ordine, quem omnes libri habent, discedatur Rud. 1128 'At si istorum níl sit, *ut mihi* (mihi uti Fl) réddas. — Reddetúr. — Tene. Truc. 688 Rabónem habeto, *út mecum* hanc noctém sies ('mecum ut' cum Camerario Schoell; cf. ut mecum Pseud. 1151. Hec. 107. 131). Amph. 909 Et id húc reuorti, *út me* purgarém tibi; ut purigarem me Rl Opusc. II p. 432, LG. uti me purgarem Fl post Camerarium. Mil. 1421 *Út ted* hodie hinc ámittamus Vénerium nepótulum (ted Guyet, Bx. 'te' libri. hodie te Rl, Fl; cf. Kellerh. p. 58, qui semper 'te hodie' etc. collocari demonstrat). Bacch. 697 Quém si orem, *ut mihí* nil credat, íd non ausit crédere; sic libri, nisi quod 'nihil mihi' C et Rl, Fl propter 'mihī' mensuram 'si<ego>' ab Hermanno sumpto.

Men. 958 Quíd illuc est, *quod méd* hisce homines ínsanire praédicant? 'méd hisce' scripsi Acidalio duce; 'me hic' libri, 'hice me' Rl, 'nunc me hisce' cum Muellero (Nachtr. p. 86) Bx. sed cf. Epid. 570 Quid est, pater, quod me exciuisti ante aedis? Acc. fr. I 175, 299 s. Quid istuc, gnata unica, est .... Quod me tanto expetens timidam e tecto excies? 'quod' antecedit pronomina perss. in 46 uu. inuersus est ordo Merc. 368 (tibi quod) et Truc. 471 (Ego quod).

Men. 1088 Nam égo hominem homini símiliorem númquam uidi álterum.

ad hiatum post 'uidi' explendum cum Bothio Rl, Bx 'ego' ante

'alterum' collocauerunt; sed suo loco non est mouendum, quoniam 'nam ego', nisi 'hercle' uel 'equidem' intercedit — id quod fit in 5 uerss. — non dirimuntur (in 166 uu.); (de Asin. 123 et Cist. I 2, 4 quid sit statuendum p. 22 exposui.) accedit quod 'numquam ego uidi' postulatur (uide § 8 b). Neque persuadere mihi possum Vid. fr. XIX — ∪ — ∪ — ∪ — ∪ *nám* audiui féminam

'Ego leonem sémel parire — ∪ — ∪ — ∪ —.

(sic distinxit Studem. p. 62) Junium Philargyrium (ad Verg. Ecl. II, 63) Plautina uerba recte tradidisse; nam praeterquam quod 'nam' contra usum ab 'ego' segregatur, subiectum uerbo suo postpositum ab eo alia uoce dirimi non solet. Eandem normam in reliquis pronominum perss. formis poetae scaenici secuti sunt, a qua duo modo loci discrepant: Poen. 402 Nóbis sit. *nam* détinet *nos* dé nostro negótio, Andr. 519 Quís igitur eum ab ílla abstraxit, nísi ego? *nam* omnes *nós* quidem Scimus ss. (Nam nos omnes Hec. 286), quorum tamen in utroque aliam collocationem metro non admitti apparet. Itaque uix recte Rl et Men. 720 pro '*Nam méd* aetatem uíduam esse máuelim (sic libri. uiduam <hic> Bx) scripsit 'Nam mĕam med aet. esse uid. mau'. et Merc. uersum 873 sic constituit adsentiente G.io: '<Năm> amicus <tibi béneuolenti> aduénio multum béneuolens', quod saltem 'Nam tibi amicus' esse debuit.

Mil. 1314 Quíd uis? — *Quin tu* iúbes ecferri ómnia quae istí dedi;
Rud. 1170 'Et suculast. — *Quin tu* í dierecta cúm sucula et cum pórculis.

In priore uersu Rl, quem Fl sequitur, 'Quin iubes tu ecf. dona quae <ego> isti dedi' in altero Fl 'quin dierecta i tu' contra usum scripserunt. nam 'quin' coniunctio (cf. p. 12) numquam a tu' segregatur; cf. ad priorem locum: quin tu iubes Amph. 775. Asin. 868. Bacch. 861. Epid. 476; quin tu iube Mil. 974, ad alterum: Quin tu i modo Cas. 623. Trin. 584.

Pers. 174 *Quom tú meum* ingénium fáns atque ínfans nóndum etiam édidicísti.

'interim', quod post 'quom' exhibent codd., e u. 172 irrepsisse uidit Rl, qui tamen non recte 'infans tu' transposuit. nam et 'tu meum' collocari debere § 3 demonstraui, neque 'quom tu, quom ego' dirimi solent; cf. Stich. 35 quom tu tuom facis.

Pers. 763 Toxíle mi, *cúr ego* síne te súm? cur tu autem síne me 's? — 'Agedum ergó: sic libri octon. anap. praebentes. tu autem B autem tu cett. 'ego cur' trochaice dimensus Rl. sed 'cur', quod in 38 uu. cum pronominibus perss. coniunctum est, semper priorem locum obtinet. 'cur ego' legitur Asin. 45. Capt. 739. 985. Merc. 471. Pers. 620 Poen. 152. 354. Pseud. 182.

§ 8.

Pronomina perss. cum particulis affirmatiuis et negatiuis coniuncta arte ad illas se applicare solent.

a. particulae affirmatiuae:

ecastor (mecastor), edepol (pol), enim, equidem, hercle (mehercle), immo, ne, qui. Pauci mihi hic loci commemorandi sunt, ubi homines doctos rem non bene gessisse iudico. Atque legitimus ordo turbatus est:

Trin. 912 Jám recommentátu 's nomen? Deūm *hercle me* atque hominúm pudet.

me hercle F codice solo nixi Hermann, Rl, Fl, Bx; et Cas. 798 uapulo *hercle ego* inuitus (cf. Kellerh. p. 61); ego hercle inuit. uap. Gp, sed cf. Truc. 357 Vah, uapulo hercle ego nunc; 'ego' enim post uerbum positum subsequi solet, dirimitur autem modo particulis affirmatiuis (uide § 10). Quare Most. 1168 uerius est, quod Mahlero p. 20 auctore Lor recepit: 'Interimam hercle ego <té>, si uiuo; ubi 'te ego' post Bothium Rl. Pseud. denique 223 recte emendasse puto Usenerum, N. Ann. XCI (1865) p. 264: 'Réprehendam hercle ego cúncta una opera' Ambrosiano duce, quem REPREHENDAMTGOHERCLEEGOCUNCTA habere Gp, Stud. Pl. II p. 63 auctor est; Repr. ego cuncta hercle Rl cum cett. codd.

b. particulae negatiuae:

haud, ne, nec, neque, neu (neue), ni, numquam, nusquam, nemo, nullus, nequis, nihil, nego, nolo. De usu negationum Kellerh. p. 67 hoc exponit: Ubi negationes cum 'ego' pronomine construuntur, negationes plerumque quidem priorem locum obtinere et uersus initium efficere solent; si tamen in enuntiato aut relatiuum aut coniunctio adest, negatio post 'ego' ponitur; porro semper 'ego haud' collocari dicit Kell. — Quam ad sententiam haec habeo quae addam: Quod Kell. de 'ego' forma dicit, ad omnes casus et personas pronominis pers. pertinet; coniunguntur autem cum negationibus in 730 uu. neque uero solum si coniunctio aut relatiuum adest (quod fit 18 locis), sed etiam si pronomen pers. accentum logicum habet (in 26 uu.), anteponitur. sed huc accedit permagnus numerus locorum, quos Kell. non commemorauit, ubi negatio ceteris normis neglectis proxime ante uerbum ponitur (in 160 uu.). Quod autem ad 'ego haud' collocationem attinet, exempla huius usus a Kellerhoffio p. 68 allata nullius momenti sunt; nam in omnibus 'ego' antecedit coniunctione uel simili uoce attractum. contra inueniuntur 'haud ego' collocata Truc. 143. Andr. 495. ('haud mihi' similia etiam saepius.) atque ut ceterae negationes ita 'haud' omnibus casibus pronominis pers. praemittitur (Aul. 757. Capt. 182. 208. Cist. I 1, 49. Epid. 664. Men. 640. Poen. 755. Pseud. 1222. Rud. 1152. Adelph. 373. Andr. 324. 530. 624. Hec. 106. 258. 278), nisi arte cum uerbo est coniunctum (Amph. 663. 1124. Aul. 210. 426. 434. 710. Bacch. 864. 1037. Merc. 148. Mil. 11. 293. 1014. Most. 792. Pseud. 1333).

Men. 271 *Ne tú* (Tu ne Rl) delinquas néue ego irascár tibi: cf. Mil. 127 Ne tú mirere mulierem. Most. 75 Ne tu érres, praeterhác mihi non facíes moram; 'erres hercle' libri, 'hercle' om. Rl 'non mihi praeterh.' transponens. om. 'erres': Ne tu hercle Lor, Sp (Plaut. p. 27). cf. ne tu Rud. 941. 1390.

Men. 960 *Néque ego* insanió neque pugnas *néque ego* litis coépio: sic libri, nisi quod 'cupio' BCD. pugnas ego nec Rl, Bx. sed 'neque ego, neque tu' semper componuntur (in 51 uu.), nisi 'edepol, hercle' intercedunt (in 9 uu.); quare Most. 351 sribendum esse proposuerim: *Néc nobis* Salús ('Salus nobis' libri) saluti iám esse, si cupiát, potest; ubi simul alliterationes Plautinissimae efficiuntur.

Most. 811 Te hás emisse. — *Nón tu* uides hunc ss. librorum scripturam recte defendit et exemplis confirmauit Vahlen Hermae XVII (1882) p. 598. alia exempla addidit Lor in editione p. 227. 'non uides tu' cum Guyeto Rl.

De particula interrogatiua 'ne'.

§ 9.

Ad hanc quoque particulam pronomina perss. fere semper arte se applicare solent. usus autem huius particulae certis normis definitus est. plerumque enim inuenitur 'ne' affixum ei uoci, quae initium enuntiati efficit (in 1160 uu.). secundum autem locum obtinet 'ne' plerumque, si antecedunt coniunctiones quaedam (sed; at, atque, utrum), aut si uox, cui 'ne' affixum est, pendet ex praepositione (82 exempla). hanc autem normam seuerius tenet Terentius quam Plautus, cuius in comoediis saepe 'ne' secundo loco inuenitur nulla causa perspicua[1]). denique tertio loco positum inueni 'ne' in 3 uersibus Terentianis (Heaut. 180. Hec. 787. Phorm. 612), ubi tamen uerba antecedentia quasi unam notionem efficiunt, uelut Heaut. 180 Hunc Menedemum nostin? contra in 14 uu. Plautinis 'ne' extat tertio loco sine causa perspicua; quin etiam quarto, quinto, sexto loco legitur 'ne' apud Plautum (Asin. 579, Bacch. 75, Trin. 350; Poen. 731, Trin. 1162; Asin. 444, Bacch. 882 s.). sed uideamus nunc nonnullos uersus huc spectantes.

Epid. 503 Sed tú nouisti fídicinam Acropolístidem?

nouisti B(E?) '*nouistin*' cum J G PROBISTEIN A, ut uidetur. aut 'tu nouisti' aut 'tun nouisti' scribendum est; ad eandem normam accomodandum puto u. Phorm. 518, qui neglecta bona memoria Bembini et ratione collocandae 'ne' particulae sic ab omnibus edd. scribitur: Túm praeterea horúnc amorem dístrahi *poterín* pati? in principio uersus TUNC A, Tum cett.[2]) horunc BC KORVM ADEFGP (FP 'm' in rasura). poteris DG poterin cett. sed id uerbum, cui 'ne' affixum est, numquam a Terentio tam longo interuallo ab initio enuntiati demouetur. potius pro TUNC, qui est leuis error librarii, TUNE scribendum erit, unde talem uersum effingendum esse mihi persuasi: Túne praeterea hórum amorem dístrahi poterís pati?

---

[1]) Sed falso interpunxerunt edd. Hec. 157 Quid? interea ibatne ss. (Quid interea? ibatne Btl recte); neque rectius distinxit G cum Seyfferto Stud. Pl. p. 18 Epid. 148 Quid tu? nunc patierin ss. pro: Quid tu nunc? patierin.

[2]) etiam Aul. 325 'Tum' exhibent BD pro 'Tun'.

Most. 362 *Sed ego sumne* ille infelix, qui non cúrro curriculó domum?

'ille' dell. cum Pylade edd. sed uerba 'sed ego sumne' non solum propterea nos offendunt, quod 'sumne' *tertio* loco extat antecedente 'sed' coniunctione, sed magis etiam, quia, si particula 'ne' uerbo affixa est, pronomen pers. subiecti loco adhibitum semper sequitur, non antecedit; cf. súmne ego Bacch. 623. Cas. 199. Men. 852. Merc. 588. Mil. 1345. Pers. 75 (Sed sumne ego stultus). Peud. 908. Rud. 1184. confirmant hunc usum permulti illi loci, ubi 'audin tu, ain tu, uiden tu' extant, quos hic enumerare longum est. quare apparet in u. Most. 'sumne', si uerum est, anteponendum esse. cum autem 'ille' prorsus a sermone scaenico abhorreat, 'ne ille' ex alia uoce, quae qualis fuerit nescio, corruptum esse mihi persuasi; aliter enim perspici non potest, quo modo 'ille' irrepserit. ('sed ego nihili infelix' coniecturam suam benigne mecum communicauit F. Leo.) si uero 'Sed ego sum < . . . > infelix' ponitur, haec uerba sunt affirmatiua uelut haec exempla: sed ego stultior Amph. pr. 56. Hec. 564. sed ego stultus sum Men. 904. sed ego sum insipienitor Trin. 936. 1057. Sed ego inscitus Men. 443. Sed male 'ego' pronomini ,ne' affixerunt edd. Trin. 515 Tibi egó rationem réddam? — Plane périimus. Tibi ego Pall. TIBINEGON A, ad quem errorem cf. Phorm. 875 (p. 44). Tibi egon Rl Parerg. p. 253, Prolegg. p. CCXCIII, Fl, Bx contra usum. Aut Pall. memoria seruanda est, quacum cf. Aul. 45 Tibi egó (de accentu cf. Muell. Pros. p. 30—35) rationem réddam, stimulorúm seges? et Capt. 611. Pseud. 318. 626 (ubi 'tibi ego' ut saepius in interrogatione extat) aut 'Tibi ego <ut>' scribendum est ad similitudinem eorum locorum, quos p. 14 s. collegi, cf. Andr. 618 tíbi ego ut crédam, furcifer? quae eadem medela fortasse adhibenda est in u. Aul. 45 supra allato, ubi 'Tibi egon' male proposuit Wg.

Men. 848 Púgnis me uotás in huius óre quicquam párcere? men Rl contra usum; nam 'men' et similes formae semper primo loco inueniuntur, cum in secunda sede plerumque extent uerba (estne, audin). Falsam autem puto esse scripturam codicum in u. Mil. 376 Unde éxit haec? (AZ, hac huc BC hec huc DF) — Ŭnde nísi domo? — Domo? — *Mé uiden*? — Te uídeo. 'Me uiden' edd. cum libris et A. me uide Lindemann, Rl praef. Stich.

p. XVII. haec formula plerumque clausulam uersus efficit, cf. hoc locos a Bx.io ad Trin. 808 collatos: Merc. 1013 ('me' del G). Rud. 680. Trin. 808. Andr. 350. Phorm. 711. 'me uiden' autem nusquam inuenitur, sed dici solet aut 'uiden me' (cf. Rud. 869. Andr. 616. Eun. 241), quod hoc loco poni metrum prohibet, aut 'men uides', quod scribendum propono: cf. Men rogas? Epid. 98 (ubi Men rogas? G recte. Men tu rogas? libri contra metrum et usum). Men. 614. Merc. 633. Heaut. 246. Mene uis Capt. 121. Phorm. 448. similiter Bacch. 783. Cas. 563 ('Men' cum Lomanno Sp, 'Me' libri). Cist. II 3, 53. Adelph. 543. ad horum locorum similitudinem etiam restituendus erit Phorm. 875 sed *men cénsen* potuisse ómnia Intellegere? MENCENSEN A, eodem errore atque in u. Eun. 724 UIDEONCKREMEN (item Ambrosianus TIBINEGON Trin. 515). censen me D me censen BCEP, quos codd. edd. omnes secuti sunt in usum peccantes; nam 1) si 'sed' antecedit, 'ne' tertio loco stare non potest; 2) si pron. pers. antecedit, 'ne' non sequenti uerbo affigitur, sed ad pronomen se applicat; quare hoc loco 'sed men censes' propono, cf. Cas. 277 Men te censes esse?

Amph. 343 Séruosne <és> an líber?

sic recte Fl; seruos esne Camer., LG; sed cf. Pseud. 610 Quíd tu? séruosne és an líber? Capt. 270 Quíd tu? seruosne ésse an liber máuelis. Capt 788 Sed Ergasilus *estne* hic, procul quem uideo? sic libri. quem <ire> Fl uersum bacchiace metiens; anapaesticum efficiens 'Sed Ergásilustne hic' cum Sp. io Bx forma non Plautina 'Ergasilustne' inducta, pro qua 'Ergasilusnest' scribere debuerunt; cf. Merc. 598 Sed isnest quem currentem uideo? Andr. 907 sed hicinest Simo? Phorm. 852 Sed isne est quem quaero an non? 546 Sed parumne est? Crebrius uero in hac dictione 'sed estne' arte coniungi solent, quibus uerbis postponuntur demonstratiuum et nomen personae, cf. Most. 310 Sed estne hic meus sodalis? Adelph. 78. Eun. 848. 974. sine 'sed': Andr. 801. Phorm. 740. Amph. 780. Curc. 230. 275. Poen. 797. 1299. Merc. 866. Trin. 432. Bacch. 534 (bis). Rud 334 (bis). 1130. Fragm. Plaut. apud Fest. p. 62 estne hic noster Hermio?

Bacch. 331 Sed *diuesne* est istic Theotimus? — Etiám rogas? sic libri, ubi recte 'diuesne' secundum locum occupat antecedente 'sed'. atque hunc uersum sic ad metrum accommodem: Sed díuesne

istic Thĕŏtīmūst? 'Sed istic Th. diuesnest?' cum Bothio Rl, Fl contra usum. non rectius Rl scribit Trin. 375 Dúcere uxorém sine dote? — Síne dote uxorém? — Ita. uxoremne Reiz apud Hermannum praef. p. IX, Rl, Bx. <autem> uxorem Fritzsche, Fl. sed hiatus ictu et mutatione personae excusatur. Truc. 779 Hic nunc uolo scire eodem pacto sine malo fateamini. pacton Studemund cum Sp. io, Schoell, qui 'Hic' delet et in adnotatione 'eodemne pacto' proponit. praeterea si 'ne' excidit, post 'eod*em*' excidisse ueri est similius; cf. Amph. 805 'In eodemne lécto? — In eodem; ubi 'eodemne' Fl, Lachm., 'eodem' libri. Bacch. 421 Eademne erat haec disciplina tibi? Dubia denique est ratio u. Eun 733 Sed Tháïs multo ánte uenit. — 'An abiit iam a mílite? ad hiatum tollendum fortasse uere scripsit 'multo <me> 'Btl, sed falso 'multon', cum 'sed' antecedat, post Harium Fl, U, Dz. ed.

Iam disseram de nonnullis uersibus, ubi particulam 'ne' pronomen personale sequitur:

Capt. 577 Quíd ais? furcifér? *tun te* <esse> gnátum memoras líberum? 'esse' add. Sp Phil. XXXVII p. 441, Bx. 'tun natum te esse' male transposuit Fl; nam 'tun te', praesertim cum allitterationem efficiant, non dirimuntur, cf. praeter u. Amph. 373 a Bx. io allatum: Amph. 758 Tun te abisse hodie hinc negas? Mil. 497. Capt. 571.

Poen. 1130 Cognóscin Giddenínem ancillám tuam?

ad hiatum, qui tamen caesura excusatur, tollendum 'tu tuam' male scripserunt LG. ad uerbum enim antecedens, si ei 'ne' affixum est, pronomen pers. subiecti loco positum se applicat nulla uoce intercedente. atque in omnibus fabulis latinis duos tantum uersus inueni, qui huic usui obstare uidentur: 1) Bacch. 856 Dixin tibi ego illum inuenturum te qualis siet; qui tamen uersus iusto longior est et offensionem habet ex datiuo ante nominatiuum posito, quare p. 11 'tibi' delendum proposui. 2) Truc. 791 Iám tace: accepístin puerum tú ab hac? — Accepí. — Tace; ubi metrum, nisi 'tú ab hoc puerum' hiatu inducto transponere uelis, aliam collocationem non admittit.

Trin. 378 *'Egone* indotatám *te* uxorem ut pátiar? — Patiundúmst, pater.

sic uersus uulgo editur. EGON A, Ego cett. 'te' om. A. sed ut

'tun te' (uide supra ad Capt. 577) semper 'egone te' arte coniunguntur; itqaue scripserim: 'Egone te índotátam uxórem ss. cf. egon te Aul. 824. Merc. 317. 323. Most. 923. Andr. 504. Hec. 849.

§ 10.

De pronomine subiecto apud uerbum collocato.

Pronomen pers., quod est subiectum, uerbum suum antecedit in cc. 2600 uu., sequitur in 512. in plurimis autem ex illis 2600 uu. (2080) pronomen cum uerbo suo ita est coniunctum, ut ante illud ipsum positum sit aut una uox intercedat. 170 locis Plautinis, 60 Terentianis pronomen extat in principio uersus et uerbum in exitu. uerbum in altero uersu sequitur 182 locis Plautinis, 60 Terentianis. in tertio demum uersu extat uerbum, cum pronomen subiectum antecedat, 9 locis (Mil. 882 ss. Most. 96 ss. Poen. 24 ss. Trin. 116 ss. Truc. 609 ss. Eun. 604 ss. Acc. fr. I I 138, 19 ss. Enn. fr. I 67, 351 ss. Laber. prol. II 296, 109). — Pronomen pers. postponitur uerbo suo in 512 uu., atque plerumque quidem proxime (in 436 uu), de quo usu iam antea passim disserui. una uox intercedit 69 locis, quae res plerumque aut intercedentibus particulis affirmatiuis (hercle etc. cf. ad Cas. 798 p. 40) aut ui sententiae excusatur. in altero uersu sequitur pronomen subiectum 7 locis Plautinis (Amph pr. 39 s. 778 s. Cist. II 3, 65 s. Men. 690 s Most. 469 s. 637 s. Vid. fr. IX, de quo dixi p. 39). postponitur autem pronomen subiectum uerbo suo plerumque in imperatiuis (tace tu, age tu) aut in interrogationibus, ubi ad uerbum affixa est particula 'ne' (audin tu, uiden tu).

Aul. 563 Volo ego éx te scire quí sit agnus cúrio

sic libri usitatum ordinem uerborum praebentes. 'Volo scire ego ex te' male cum Nonio G. ium scripsisse recte monet Seyff. Jahresber. f. Alterthumsw. XXXI (1882) p. 60. cf. Bacch. 189 Istuc uolebam ego ex te percontarier. Pers. 604 uolo ego hanc percontari. Rud. 120 s. paucis percontarier Volo ego ex te.

INDEX.

BERLINER BUCHDRUCKEREI-ACTIEN-GESELLSCHAFT, SETZERINNEN-SCHULE DES LETTE-VEREINS (CARL JANKE).